LAZARI BAY

FII VIRI DOCTISSIMI, ANNOTA-
tionum in L. Veſtis, ff. de auro & argento leg.
ſeu de re ueſtiaria, liber nunc primũ typis
excuſus, cum indice haudqua-
quam pœnitendo.

Subiecta eſt & præfationi lex ipſa, quo facilius intelligatur, quid in toto libro tractetur.

BASILEAE APVD IOANNEM
BEBELIVM AN. M. D XXVI.
MENSE MARTIO.

Sign. 6495
IN=03000463O

ILLVSTRISSI-

MO PRINCIPI D. IOANNI A LO= tharingia. S. R. E. Cardinali meritiſſi mo Lazarus Bayfius S. D.

QVom diu, multumq; me ſolicitum haberet huiuſce mei libelli æditio, nõ tam, quod ma leuolorum inuidiam pertimeſcerem: quis enim ſanæ mentis huic labori meo inuide= at? quàm quod rei ueſtiariæ, quam tracto, familiarem peſtem blattas ſcilicet & tineas, in hoc meum opuſculum primo quoq; tempore impetũ fa= cturas ſuſpicarer, tu unus ex omnibus mihi occurrebas, qui ingenij mei mediocritatem, nõ modo autoritate tua tueri & poſſes & uelles, uerum etiam tuæ amplitudinis odore, multo magis quàm mala illa aurea, quæ & medica & citria dicũtur, hanc ſyntheſim meam, ab omni tinearũ impetitione uendica res. Quis eſt em̃ omniũ, aut quotus quiſq; eſt eorũ quidẽ cer te, qui cum muſis, id eſt cũ humanitate & doctrina aliquod habent cõmercium, qui cum hunc libellum tibi nuncupatũ, tibiq; non ingratum: huius denicq; ipſius te patrocinium ſu= ſcepiſſe reſciuerit, eũ ipſum nominis tui titulo pellectus non ſtatim emendum curet: emptum perlegat: perlectum pro= pè dicam, exoſculetur, neque de manibus unquam deponat: & ut in eo plura uideat quæ reprehendenda, quàm quæ lau= dibus efferenda ſint, tuæ certe dignitatis celſitudine permo= tus, à conuicijs linguam abſtineat? Quem uero ad te tuaq; non dicam metuenda: amari enim uis non metui, ſed obſer= uanda potius, magnifica iſta tui oris probitas non rapiat; ge neroſa formæ dignitas non alliciat; ſuauiſſima humanitatis mollitudo nõ inuitet; ſingularis denicq;, raraq; in ampliſſima fortuna Romani ſermonis facundia nõ perſuadeat? Quibus tu dotibus inſtructus & ornatus non Romanos, Germanos, ac Gallos tantũmodo, uelut alter Gallicus Hercules, aures,

oculosq; aureis catenulis, id est, ueneranda quadã suada uinctos, quocunq; uis trahis, sed ipsum quoq; Franciscum regẽ acerrimum ingeniorum æstimatorem, morũ suauitate, quos inte nouit esse præcipuos, ita deuinctum tenes, ut te unum ex omni purpuratorum ordine potissimum delegerit, quem tum in administranda regni mole, consiliorum participem, uel potius principem haberet: tum uero quotidianis epulis communi mensa conuiuam exciperet. Et hercle bene. Quid enim est elegantia tua dignius, cuius tum oratio, tũ uita per difficilem illam grauitatis cum humanitate coniunctam societatem mihi uidetur consecuta? Neq; uero ille unus te adamare contendit, quinetiam ad unum omnes Christiani nominis principes, & eorum nonnulli Gallici nominis hostes, te Gallũ, Gallicarumq; partium, utrumq;, & ob animi celsitatem & ob uitæ integritatẽ ita probant, ut nemo unq; quisquam suum principem conterraneum magis. Nimirum hoc tibi tribuit admiranda quædam uirtutis uis, ac incredibilis ingenij dexteritas, ut te non solum ij qui nunquam uiderint admirentur: sed hostes etiam non uulgari amore prosequantur. Iam uero literatorum, studiosorumq; ordo, cui ultro te Mecœnatem exhibuisti, te ita suspicit, magnam ut in spem ueniam, hasce meas uigilias, quas tuæ amplitudini consecrauimus, futuras illi, te cõmendante gratiosas: quas tamẽ ipsas haud satis scio Iureconsultis quibus scripsimus fore plausibiles, propterea quod minime Accursij, Accursianorumq; morem sectati simus. Quin & necessario pleraq; ex Græcorum fontibus adiecimus: uolui enim autoribus laudandis ineptiarum crimen effugere: quæ uereor ut istis stomachum faciant, eoq; nomine libellum hunc reijciant, qui ab hac transmarina atque aduenticia doctrina abhorrere solent. Porrò autem utriusq; linguæ elegantiarum sectatores, qui ista mea legere non grauabuntur, oratos uelim, primum ut mihi asseueranti credant, me meliores ætatis annos in ediscendis Accursianorũ ineptijs, potius, quàm Vlpiani, aut Pauli responsis, de

sis, de non satis eruditorum amicorum consilio, consumpsis-
se: quorum barbaries ingenium, mentem q̃ meam infusca-
uit, quibus dediscendis non minus mihi fuit negocij, quàm
in ediscendo ad uerbũ, aut Platone, aut Demosthene, aut si-
mul utroq̃: Deinde me sero & cursim Græcas literas arripu-
isse, ac succisiuis, quod aiunt, operis: præterea cogitent, quid
homo cuiusmodi ego & sum & esse prædico, & præ me fero,
præstare possit, in ea præsertim re, quæ ab hinc annos circi-
ter mille doctissimo cuiq̃, ut nihil magnificentius dicã, haud
satis cognita fuit & perspecta. Tum ad extremũ ita fiet, opi-
nor, ut nihil mihi de impetranda ab his uenia sit laborandũ:
etiamsi nõnullis in locis lapsus fuerim, uel pleraq̃ omiserim.
Ego enim, ne forte nesciant, hac lege hoc opus ædo, mihi
post hac ut integrum sit, curta producere, peruersa mutare,
errata denicq̃ ipsa corrigere. Cur enim mihi uix dum triginta
annos nato, semel non liceat, quod propè quinquagena-
rio Budæo licuit, magno natu Erasmus sibi toties per-
misit? Quorum uterq̃ suo studio, labore, & indu-
stria sibi doctrinæ nomine, æternum decus, pa-
triæ, Mecœnatibus q̃ suis nunquam in-
termorituram gloriam cõparauit.
Vale præsul ornatissime.

VLPIANVS.

VESTIS, an ueſtimenta legantur, nihil refert. Veſtimentorũ ſunt omnia lanea, uel ſerica, uel bombycina, quæ induendi, præcingẽdi, amiciendi, inſternendi, iniiciendi, accubandiue cauſa parata ſunt, & quæ his acceſſionis uice cedunt, quæ ſunt inſitæ picturæ, clauiſq; qui ueſtibus inſuũtur. Veſtimẽta omnia aut uirilia ſũt, aut puerilia, aut muliebria, aut cõmunia, aut familiaria. Virilia ſunt quæ ipſius patris fa. cauſa parata ſunt, ueluti togæ, & tunicæ, palliola, ueſtimenta ſtragula, anſitaria & ſaga, & reliqua ſimilia. Puerilia ſunt quæ ad nullum alium uſum pertinẽt, niſi ad puerilem, ueluti togæ, prætextæ, aliculæ, chlamydes, pallia, quæ filiis noſtris cõparamus. Muliebria ſunt quæ matris fa. cauſa parata ſunt, quibus uir non facile uti poteſt ſine uituperatione, ueluti ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, Zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi, quàm ornandi cauſa cõparata ſunt, plagulæ, penulæ. Cõmunia ſunt quibus promiſcue utitur mulier cum uiro, ueluti ſi eiuſmodi penula, palliúmue eſt, & reliqua eiuſmodi, quæ ſine reprehenſione, uel uir, uel uxor utatur. Familiaria ſunt, quæ ad familiã ueſtiendam parata ſunt, ſicuti, ſaga, tunicæ, penulæ, lintea ueſtimenta, ſtragula, & cætera ſimilia. Veſtis ex pellibus conſtabit. Item ueſtes caprinæ & agninæ ueſtis erunt. Argumento ſunt etiam nationes quædam, ueluti Sarmatarum, quæ pellibus teguntur. Ariſtoteles etiã coactilia ueſti cedere ait, & tegimenta ſubſelliorum huic legato cedere uice margaritarum. Item fibulæ ornamentorũ magis, quàm ueſtis ſunt. Tapeta ueſti cedunt, quæ aut ſterni aut iniici ſolent, ſed ſtragulas & bubolonicas, quæ equis inſterni ſolent non puto ueſtis eſſe. Faſciæ crinales, pedulesq; impilia loco ſunt, quia partem corporis ueſtiunt. alia cauſa

est udonum quia usum calciamentorũ præstant. Ceruicalia quoq; nomine uestis continentur. Si quis addiderit uestem suam, apparet de ea eum sensisse quã ipse in usos suos habuerit. Culcitræ etiam uestis erũt. Item pelles caprinæ & agninæ uestis erunt. Muliebri ueste legata & infantilem cõtineri, & puellarum & uirginum, Pomponius lib. xxij. ad Sabinum, recte scribit. Mulieres enim omnes dici, quæcunq; sexus fœminini sunt. Ornamenta muliebria, sunt quibus mulier ornatur, ueluti, inaures, armillæ, uiriolæ, annuli, præter signatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullã parantur, nisi corporis ornandi causa. Quorũ in numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam in se nullã utilitatẽ habent. Mundus muliebris, est quo mulier mundior fit. Cõtinentur & eo, specula, matulæ, unguenta, uasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, ueluti labocioristus. Ornamentorũ hæc uittæ, mitræ, & semimitræ, lautica, acus'ue, cum margarita, quam mulieres habere solent, reticula, crocofuscia. Sicut & mulier potest esse munda, non tamen ornata, ut solet contingere in his, quæ se mundauerint, lotæ in balneo, neque se ornauerint. Et contra est aliqua ex summo statim ornata, nõ tamen emundata. Margarita ita si non soluta sit, uel quij lapides, siquidẽ exemptiles sint, dicendũ est ornamentorum loco haberi. Sed & si in hoc sint soluti, ut recomponantur, ornamentorum loco sunt. Quod si adhuc rudes sint lapilli, uel margaritæ, uel gemmæ, ornamentorũ loco nõ erunt, nisi alia fuerit mens testantis, qui hæc quoque, quæ ad testamenta parauerat, ornamentorum loco & appellatione cõprehendi uoluerit.

LAZARI BAY.

FII ANNOTATIONVM IN L. VESTIS FF. DE AVRO ET ARGENTO LEG. LIBER.

CAPVT PRIMVM.

SVNT qui putẽt inter ueſtẽ & ſtolã hanc eſſe differẽtiam, ut cũ ueſtis appellatione, omne ueſtimentum comprehendatur, muliebre iuxtà ac uirile, ſtolæ mulierũ tantũ ueſtimenta intelligantur. Quos ſequutus uidetur Vlpianus hic, qui ſtolã inter muliebria ueſtimenta annumerat. Et autorẽ uidetur habere locupletiſſimũ Ciceronem in Antoniana ſecunda, in hæc uerba: Sumpſiſti uirilem togam, quam ſtatim muliebrẽ ſtolam reddidiſti. Ego uero haud magno in diſcrimine ponam, dícátne quis, ueſtem aut ſtolam, cum ex autorũ obſeruatione, quin hæc duo uocabula συνώνυμα ſint, parum abeſſe exiſtimem. Veteres enim ſtolam dixerunt omne quod corpus tegeret, autor Nonius. Cicero quoq; cum muliebrẽ adíjcit, ſentire uidetur ſtolam quoq; uirorum fuiſſe, quod & probari poteſt ex autoribus à Nonio citatis. Græci uero, uel potius quidam Græcarum elegantiarũ ſcriptor, ait, ueſtis, quam ἑσθῆτα uocat appellatione, omne ueſtimentum contineri; ſtolam uero indumenti rationem quandam, ac modum demonſtrare, ut alia ſtola Græcorum, alia Barbarorum. Quo in ſignificatu utitur Plutarchus, cum alibi, tum in Alexãdro: ἐνίκησεν, inquit, ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος, καὶ δωρεὰν ἔλαβε δώδεκα κώμας, καὶ στολὴν περσικὴν χρῆσθαι. hoc eſt: Vicit is qui uocabatur Alexander, gratiaq; illi facta, ut duodecim uicis potiretur, ſtolaq; Perſica uteretur. Stola Perſica ait pro cultu Perſico. Idẽ Plutarchus in Dione, cum de Dionyſio ſeniore loquitur, qui nemine inexcuſſum, in cubiculum admitteret, ſic ait: εἰσῆει δὲ πρὸς

Veſtis appellatio.

Stola.

Synonyma

Stola apud ueteres.

ἑσθής. *Veſtis*

Stola pro cultu

Dionyſius,

αὐτὸμ εἰς τὸ δωμάλιομ, οὔτ' ἀδελφὸς, οὔθ' υἱός, ὡς ἔτυχεμ ἠμφιεσμένος, ἀλλ' ἔδει, πρὶμ εἰσελθεῖμ, ἀποδύτα τὴμ ἑαυτοῦ στολὴμ, ἕκαστομ ἑτέραμ ἀναλαβεῖμ, ὁραθέντα γυμνὸμ ὑπὸ τῶμ φυλαττόντωμ. hoc eſt: Ingrediebat uero ad ipſum in cubiculũ, neq; frater, neq; filius, ut erat indutus, uerũ opus erat ante ingreſſum unũquẽq;, poſito ſuo ipſius cultu, alium ſuſcipere, nudum'q; ita à ſatellitibus uideri. Stola uero dicta uidetur ἀπὸ τοῦ στέλλομαι, quod induo ſignat, ut apud Plutarchum, in Arato: ὁδὲ ἐργῖνος ἐπιλαβὼμ νεανίσκους ἐσταλμένους ὁδοιπορικῶς. hoc eſt, uiatoria indutos, quo uocabulo utitur Budæus in quadam epiſtola, uir de quo dicere ſolet Ianus Laſcaris, quod olim de Tullio dixit Apollonius. Viatoriam uero ueſtem hodœporicam appellat Herodianus, quam uulgo robam curtam dicimus. Herodianus in quinto, ubi de Macrini fuga, qui poſito cultu regio ἐσθῆτά τε ὁδοιπορικὴμ λαβὼμ, καὶ τὴμ κεφαλὴμ ἀεὶ σκέπωμ, νύκτως τε καὶ μεθ' ἡμέραμ ὁδοῖ πόρει φθάνωμ τὴμ φήμημ τ' ἑαυτοῦ τύχης. hoc eſt, Sumptaq; ueſte uiatoria, obtectoq; uſq; capite, noctem diemq; iter faciebat, famam ſuæ fortunæ præueniens. Sic & Plinius cubicula uiatoria dixit libro xxxvij. Et Neronis principis qui ſceptra perſonis hiſtrionum, & cubicula uiatoria unionibus conſtruebat. Nos quoq; fortaſſis haud abſurde dixerimus, cubicula uiatoria lectulos illos, quibus paſſim in comitatu utimur

Stola unde dicta.

Budæus Luſcaris.

Viatoria ὁδοιπορική.

Cubicula uiatoria.

CAPVT II.

Lanarum genera.

IT Vlpianus (ueſtimentorum ſunt omnia lanea) De lanarũ generibus ex Plinio pauca ſubijciã, quandoquidem melius eſt à fontibus haurire, quàm riuulos conſectari.

Hiſpania nigri uelleris præcipuas habet.

Pollentinæ. Pollentia iuxta Alpes.

Vnde apud Martialem lanæ Pollentinæ.

Non tantum pullo lugentes uellere lanas.

Canuſinæ. Canuſium rutuli, quas erythras uocant.

Canuſinæ ruffæ dictæ à Martiale:

Roma magis fuſcis ueſtit' Gallia ruffis.

Canuſinatus. Et Canuſinatum Syrum dicit pro Canuſina ueſte ornato.

Vt Ca-

Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Fuluas habet Tarentum, & ſuæ puliginis Hiſtriæ, Liburniæq́ pilo propior, quàm lanæ, pexis aliena ueſtibus, & quã ſola ars ſcutulato textu commendat in Luſitania. Scutulatum uero textum eiuſmodi ferè eſt, qualis cernitur in aranearum telis. Plinius undecimo, cap. xxiij. Quanta arte celant pedicas, ſcutulato rete, ad capiẽdas muſcas circa graſſantes. Eſt aũt ſcutula à ſcuto dicta, Pli. xvij. ubi de Emplaſtratione. Ergo amputatis omnibus ramis, ne ſuccũ auocent, nitidiſſima in parte, quâq́ præcipua cernatur hilaritas, exẽpta ſcutula, cortici, ita ne deſcendat ultra ferrum, imprimitur ex alia cortex par cum ſui germinis mamma. per ſcutulã intelligo corticẽ ad effigiem paruuli ſcuti eximendum ab arbore, & aliũ in eius locum cum germine reponendũ. At uero mollis erat in agro Mutinenſi, cuius meminit Strabo in quinto. Ἔρεαν δὲ τὴν μὴν μαλακὴν, οἱ περὶ μυτίνην τόποι, καὶ τὸν σκόταναν ποταμὸν φέρουσι, πασῶν πολὺ καλίστην. τὴν δὲ τραχεῖαν ἢ λιγυστικὴ, καὶ ἡ τῶν ἐνσόβρων. ἀξιῶ δ' πλέον τ οἰκείας τῶν ἰταλιωτῶν ἀμπέχεται. τὴν δὲ μέσην ἢ περὶ παταύιον. ἀξιῶ οἱ τάπητες οἱ πολυτελεῖς, καὶ γαυσαπῖναι. hoc eſt: Lanam uero mollẽ Mutinẽſis ager, eaq́ regio quæ ad fluuium Scutanam pertinet, fert omnium lõge optimam: hirtam uero Liguſtica, et Mediolanẽſis, ex qua bona pars Italiæ ſeruitior um ueſtitur. Mediocrem autem, ea quæ circa Patauium, ex qua precioſiſſima tapeta & gauſapinæ fiunt. Eſt et hirta pilo craſſo, in tapetis antiquiſſima gratia.

Scutulatus textus.

Scutula

Mutinenſis.

Lanarum colores natiui memorantur quatuor præcipui, etiam ſi Plinius dicat, uel natiuis nomina deeſſe aliquot modis. Albus in Apulia nobilis, ut ait Martialis.

Lanarum colores præcipui.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis, Altinum tertia laudat opus.

Niger in Hiſpania, & Pollentia, ut diximus, rutilus, qui & ἐρυθρὸς dici poteſt, & à Martiale ruffus. Fuluus & ſuæ puliginis Tarẽtinus. Quis uero ſit fuluus color docet Fronto apud Gellium his uerbis. Fuluus autẽ uidetur de ruffo atq́ uiridi mixtus in alijs plus uiridis, in alijs plus ruffi habere. Sic poë-

Rutilus.

ἐρυθρός.

Fuluus color.

ta uerborum diligentiſſimus fuluam aquilam dixit, & iaſpidem, fuluos galeros, & fuluum aurum, & arenam fuluam, & fuluum leonẽ. Sic Q. Ennius in Annalibus, fuluo ære dixit.

Flauus. Flauus contra uidetur ex uiridi & ruffo & albo concretus. Sic flauentes comæ, & quod mirari quoſdam uideo, frondes olearum à Vergilio dicuntur flauæ. Sic multo ante Pacuuius aquam flauam dixit, & flauũ puluerem, cuius uerſus, quoniam ſunt iucundiſſimi libens commemini.

Cedo tamen pedem lymphis flauis flauũ puluerẽ. Ha-

Flauẽtes comæ ctenus Gellius. Flauentes comæ dicuntur, quæ ſunt crocei coloris, quod uel Ouidiano uerſu probari poteſt, in ſecundo de amoribus.

Seu flauent, placuit roſeis Aurora capillis.

De coloribus ex Gellio. Quando uero in colorum mentionẽ incidimus, qui multi uariíq; in ueſtimentis reperiuntur, ſericis iuxtà ac laneis, addam ex eodem Gellio quæ præcipue ad noſcendos colores facere uidebantur. Ait Gellius eodem capite: Nõ enim hæc ſunt ſola uocabula ruffum colorem demonſtrantia, quæ tu modo dixiſti, ruffus & ruber, ſed alia quoq; hactenus plura quàm quæ dicta abs te Græca ſunt. Fuluus emũ ut flauus, ut rubidus, ut phœniceus, ut rutilus, ut luteus, & ſpadix, appellationes ſunt ruffi coloris. Hactenus Gellius. Aduertendum tamen ex eodem quod phœniceus, rutilus, & ſpadix ſunt

Rutilus. Phœniceus.

Synonyma σωώνυμα, & ſignificãt exuberantiam, ſplẽdoremq; ruboris,

Spadix. quales ſunt fructus palmæ arboris non admodum ſole inco-

Rubidus. cti, unde ſpadicis & phœnicei nomen. Rubidus autem &

Luteus. ruffus atrore & nigrore multo mixtus. Luteus quoq; ruffus

Viridis. eſt, ſed dilucidior. Viridis uero color appellatur quoq; cœru-

Cœruleus. leus, qui à Græcis glaucus dicitur, unde Pallas γλαυκῶπις di-

Glaucus. cta, à ueteribus aũt latinis cœſia quaſi cœlia, à colore cœli, ut

Cœſius. inquit P. Nigidius. Auſonius quoq; de Biſſula latine dixit:

Cœrulus.

γλαυκῶπις θαλάσσης ὄσσος.

Oculos cœrula, flaua comas.

Hoc eſt, ut uulgo loquimur, quæ habet oculos uirides. Illud interim mirari ſubit, quid in cauſa ſit, quod nos Galli ſimul & Germani in puellarum forma oculos cœruleos laudamus

contra

contra uero Romanis ac Græcis puellæ oculis nigris cen-
sentur. Cœrulei coloris uestis dicitur & cymatilis, quia no-
men sortitur ab undis. apud Ouidium.

Cymatilis?

Hic undas imitatur, habet quoq; nomen ab undis.

κῦμα eñ fluctus est. Nec me latet quosdam per cymatilẽ ue-
stẽ apud Plautũ intelligere, undulatã, id est, de camelot. qđ
haud scio an ridiculũ sit. Quod autẽ de luteo diximus, No-
nius ait, Luteum proprie esse croceum. Autor Vergilius, in
Bucolicis.

κῦμα.

Vndulata uestis

plauty in Epidico
alibi somnb
vbi vestes varijs co
lorib; enumerat.

Luteus color.

Iam croceo mutauit uellera luto.

Et alibi.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Sic & oui uitellũ luteum dicimus. Crocota uestis dicta No
nio, unde infectores crocotarij apud Plautũ. & dicitur Cro
cota à croco, ut opinor, quo uocabulo utuntur & Græci κρο
κωτὸς & κροκώτιον; id est, Crocota & crocotula, quæ inter mu
liebria connumerantur. Quo uocabulo quidam putauerunt
rubrum colorem intelligi. Ouidius.

Crocota.

Crocotarij.

plauty in Aulu
laria alibi
terio.

κροκωτός.

κροκώτιον.

plauty in
Epidico

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Vides ut crocum rubrũ dicat Ouidius. Ostrina quoque ab
ostro, qui est subrubeus. Terentius: Interea aspexit uirginẽ
uectari in capite riculam indutam ostrinam. Molochinus in
ueste similis flori maluæ, cuius infectores dicũtur Molochi
narij à Plauto, in Aulularia. Ferrugineus est color ferro ar-
denti haud absimilis, ut quidam putauere, qui & hyacinthi-
nus ex Vergilio, ait eñ: Ferrugineos hyacinthos. Ex No-
nio. Castaneus in uestibus is color quẽ sublata prima sylla-
ba, uulgo taneum dicimus, cuius meminit Ouidius de arte
amandi. Neq; uero alienum uidetur ex Platone in Timæo
pauca de coloribus addere. Græca non adscribam quia sub-
timeo, ne Græcarum literarum expertis nauseam moueam,
quãdo ferè fit, ut facile aspernemur, quæ ignoramus. Marsi-
lius ita uertit. Quod uisum disgregat albũ appellatur. nigrũ
uero quod congregat, motionem profecto acutiorem, alte
riusq; generis ignis incidentem, dispergentemq; uisum usq;

Vides ut crocum rubrũ dicat Ouidius. Ostrina quoque ab ostro, qui est subrubeus.

Ostrina uestis.

Molochinus color.

Ferrugineus.

Castaneus.

De coloribus ex Platone.

ad oculos, orbesq́; ipſos oculorum, meatusq́; ui diuerberantem, liquefacientemq́; ignem eſſe dicimus ex oppoſito obuiantem, cuius occurſu lachryma, corpus ex igni & aqua mixtum effunditur, & uno quidẽ igne uelut è coruſcatione quadam exiliẽte, altero uero penetrante, & ab humore extincto uariq́; creãtur ex huiuſmodi mixtione colores, atq; ipſam paſſionem fulgorem, coruſcationemq́; uocamus, quodq́; id facit ſplendidum atq; coruſcum. Horum medium ignis genus ad oculorum humorem peruenies, illiq́; ſe miſcens, minime quidem coruſcum, ſed ex ipſa ignei radij ad humorem mixtione ſanguineum creante colorem rubeũ nominamus. ſplendidum albumq́; rubro mixtum flauum procreat. Quo autẽ menſuræ modo ſingula ſingulis miſceantur, etiamſi quis nouerit narrare prudentis non eſt, præſertim, cum neq; neceſſarium, neq; ueriſimilem de his rationem afferre poſſit. Rubeum cum albo nigroq́; purpureum generat. Paulo obſcurior, moreus, luteolusq́; fit color, fuluum flaui, fuſciq́; temperatione producitur. Fuſcum uero albi, & nigri confuſione pallorem albi flauiq́; copula generat. Splendidum albo adiunctum obfuſumq́; nigredine cœruleum efficit. Cœruleũ cum albo glaucum creat. Fului nigriq́; temperie color uiridis naſcitur. Hactenus Marſilius. Plura de coloribus dicere ſuperſedi, quoniã hac de re multa pollicetur Marcellus Florentinus, quem etiamſi fato functus eſt, de coloribus copioſiſſime, ſimul & doctiſſime ſcripſiſſe arbitror.

Fulgor.
Coruſcatio.

Rubeus color.
Flauus.

Purpureus.
Moreus.
Luteolus.
Fuluus.
Fuſcus.
Cœruleus.
Glaucus.
Viridis.

Marcellus Florentinus.

CAPVT III.

PVrpureus color in ueſtimentis laudatiſſimus antiquis fuit, cuius autorem fuiſſe ferunt Herculem, ut ſcripſit Iulius Pollux in onomaſtico, ad Cõmodum imperatorem, his uerbis. τύριοι λέγουσι, ὡς ἡρακλῆς ἡράθη νύμφης ἐπιχωρίας. τύρος δ' ἦν τῇ νύμφῃ τοὔνομα. ἔπειτ' ἄρα τῷ ἡρακλεῖ ἡδὺ νύμφη, κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον. οἶδα δὲ ὅτι τοῖς ἥρωσι συνῆσαν μέχρι δὴ ἐκκλησίας οἱ κώμοι. ὁ τοίνυν ἡράκλειος κύων κατὰ πέδας ἐρπύσασαν θεασάμενος κῆφυραν προσέχει σκῷ αὐτῆς δήσας κόσμῳ, ὁ μὲν τὴν σάρκα πρίεται τροφήν, ὁδὲ λύθρος

Purpuræ inuentio.

λύθρος ἄρα τὰ χείλη τοῦ κυνὸς αἱμάξας ἐφοίνιξεν. ὡς δὲ ἦκεν ὁ Ἡρως παρὰ τὴν κόρην, αὕτη δὲ θεασαμένη τὰ χείλη τοῦ κυνὸς ἀνθοῦντα ἀληθῆ βαφῇ, οὐκ ἔφη προσήκειν τὸ λοιπὸν τὸν Ἡρακλέα, εἰ μὴ αὐτῇ κομίσειεν ἐσθῆτα τῷ μὲν κυνὸς χρῶμα ἐναλλὰξ ἑαυτῷ. ὁ μὲν τοίνυν Ἡρακλῆς ἄγεύστε τὸ ζῶον, καὶ τὸν λύθρον ἀνελέξατο, καὶ τὸ δῶρον ἐκόμισε τῇ κόρῃ, πρῶτος γενόμενος εὑρετὴς τῷ τυρίῳ λόγῳ τῆς φοινίσσης βαφῆς. hoc eſt: Tyrij ferunt, Herculẽ captũ amore nymphæ indigenæ, quæ Tyrus uocabatur. Sectabatur autem Herculem canis, ut erat mos antiquus. Nosti enim quod simul cum heroibus canes in concionem ingrederentur. Canis igitur Herculeus purpuram per scopulum adrepentẽ conspicatus, ipsius prominentem carunculam mordicus adripuit, & pro cibo usus est cruorĕq; labra canis colore phœniceo infecit. Vt uero rediit heros ad puellam, ipsa conspicata canis labra insueto colore infecta, negauit sibi quicquam posthac cum illo fore, nisi si uestem canis labris speciosiorem afferret. Sic itaq; Hercules concha illa inuenta, cruorem collegit, munusq; puellæ attulit, primus inuentor, ut Tyrij perhibẽt, phœniceæ infectu-
ræ. Hæc ferè ad uerbũ, ut rudiores Græca intelligant. Impe- *Purpuræ usus.*
ratores Romani priuatis purpuræ usu interdixerunt, in titulo: Quæ res uendi non possunt, libro quarto Codicis.
Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram con- *Purpuræ appellatio.*
tineri puto. Itaq; buccinum & conchylium continebitur l. *Buccinum.*
si cui lana, supra de legat. tertio, in uulgatis codicibus legitur *Conchylium.*
fucinum & iacinctum, uel iacinum, & in horum interpreta- *Accursij lapsus*
tione mirandum in modum hallucinatur Accursius, cũ ex
Plinio constet buccinum & conchylium inter purpuræ ge- *Purpuræ usus*
nera adnumerari. Nec admodum placet, quod Nebrissensis *hodie ignotus.*
ianthinum legit. Purpuræ usus nobis est ignotus, quod & affirmat Budæus in lib. de Asse. Mirum tamen uidetur, cũ
Carteia Beticæ prouinciæ olim murices & purpuras nobi- *Carteia*
les fuisse constet, ex Strabone in tertio. ἐνθὲ καρτηία κύρινας δὲ καὶ πορφύρας φασίν. In Sardinia quoq; fuisse constat *Tinctura Sardonica.*
ex prouerbio: βάμμα σαρδωνικὸν ἀντὶ τοῦ ἐρυθρὸν καὶ φοινικοῦν.
Romæ uero purpuræ usum semper fuisse testatur Plinius

his uerbis: Purpuræ usum Romæ semp fuisse uideo, sed Romulo ĩ trabea. Nã toga prætexta, et latiore clauo, Tulliũ Hostiliũ è regibus primũ usum, Hetruscis deuictis satis cõstat.

Purpura insigne magistratuum.

Purpura erat insigne Romanorum magistratuũ, quod & Martialis affirmat, cum ait:

Diuisit nostras purpura uestra togas.

Et ab eodem, purpura ponitur pro magistratibus.

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Purpura pro magistratu.

Plinius in decimo, ubi de Gallis: Vt planè digne aliti honoris tantum redeat Romana purpura, id est, Romani magistratus. Purpuræ uiolaceæ precium in libris denarijs centũ.

Cornelius Nepos.

Plinius. Nepos Cornelius q̃ diui Augusti principatu obijt, Me, inquit, iuuene uiolacea purpura uigebat, cuius libra denarijs centum uenibat, id est, decẽ aureis solatis. Subdit Plinius: Successit dibapha Tyria, quæ in libras denarijs mille

Dibapha. Tyria.

nõ poterat emi, id est, mille iulijs, uel cẽtũ aureis solis. Paulo post, dibapha dicebatur, quæ bis tincta esset, ueluti magnifico impẽdio. Dibaphum appellat Tullius epistolarum secundo, ad Cælium: Curtius noster dibaphũ cogitat, sed eum

Dibaphum.

infector moratur. & ad Atticũ: Próinde isti licet faciãt quos uolent conss. tribunos pleb. etiam, deinde Vatinij strumam, sacerdotij διβάφῳ uestiãt. id est, ueste purpurea & bis tincta

Pelagus.

dibapha. Plinius tamen, pelagi, id est purpuræ genus, in libras quinquagenos nummos, & buccini centenos ponit, id

Nummus.

est, quinquaginta solidos & cẽtenos. Nummum pro solido nostro accipio ex Budæo. Vestimenta purpura infecta, eo temperamento, ut eius lapilli colorem reddant, qui ame-

Amethystus.

thystus appellatur, amethystina dicũtur. Plinius lib. xxxvij. Indicæ absolutum purpuræ colorem habent, ad hanc̃q̃ tinguentium officinæ dirigunt uota. Fundit autẽ eum aspectu leniter blandum, nec in oculos, ut carbunculi uibrat, unde Ouidius amethystos purpureos,

Hic baphias, hic purpureos amethystos

Amethystinatus.

Martialis in primo amethystinasq̃ mulierũ uocat uestes, inde amethystinatus, Martialis in secundo.

Hic

Hic quem uidetis greſſibus uagis lentum,
Amethyſtinatus media qui ſecat ſepta.

Iam & ille addito Tyrio, Tyriamethyſtus dictus. Plinius de tinguendo amethyſto: Non eſt ſatis abſtuliſſe gemmæ nomen amethyſtum. rurſus abſolutus inebriatur Tyro, ut ſit exutroq; nomen improbum, ſimulq; luxuria duplex. Tyriũ accipe pro purpura Tyria. Tyros enim quondam inſula à Tyro Phœnicis filio appellata, poſtea uero oppugnantis operibus, continenti iuncta nobilis fuit conchylio & purpura. πολὺ γάρ, ut ait Strabo, ἀξιόλογα πασῶν, ἡ τυρία καλλίσκη φύρα. hoc eſt: Longe enim omnium præſtantiſſima habetur Tyria purpura. Tyrus quondam Sarra dicta, unde Sarrana apud Iuuenalem. Dicunt quoq; abſolute Tyriæ, ueſtes purpura Tyria infectæ. Ouidius:

Tyriamethyſtus.
Tyrium.
Tyros.
Sarra.
Sarrana.
Tyriæ.

Siue erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.

Martialis in primo:

Hiſpanas, Tyriasq;, coccinasq;.

Tyriæ lacernæ

Tyriæ quoq; Lacernæ. Martialis:

Vt luculenta linat Tyrias mihi multa lacernas.

Quarum precium diſce ex eodem Martiali.

Emit lacernas millibus decem Baſſus,
Tyrias coloris optimi.

Et in Mancinum.

Milibus decem dixi emptas lacernas nũmis eſſe Pompille.

Idem Martialis in Proculeiam, libro x. ueſtis purpureæ immenſum precium ponit, quam trabeam fuiſſe puto, uel togã pictam. Ludit in uxorẽ quæ diuertit à uiro, propterea quod prætor eſſet renunciatus.

Quid, rogo, quid factum eſt, ſubiti quæ cauſa doloris?
Nil mihi reſpondes? Dicam ego, prætor erat.

Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares.

Megalenſis purpura.

Per Magalenſem purpurã intelligit togam pictam, qua ornabãtur prætores celebrandis Megalẽſibus ludis. Iuuenalis enim inter ornamenta prætorũ adnumerat trabeam.

Cũ non eſſent urbibus illis Prætexa, & trabeæ. & alibi.
Megaleſiacæ ſpectacula mappæ,
Idæum ſolenne colunt, ſimiliq; triumpho
Prædo caballorum prætor ſedet.

Toga picta. Toga enim picta triumphantiũ erat, ut docebo ex Liuio. Quod uero toga picta fuerit prætorũ, docet Lampridius in Alexandro, in hæc uerba: Prætextam & pictam togam nuſquam, niſi conſul, accepit, & eam quidẽ quam de Iouis templo alij quoq; accipiebant, aut prætores aut conſules. Quibus uerbis apparet prætores & cõſules ſolitos accipere prætextam & togam pictam de templo Iouis. Et etiam tunicã, quæ ob id à Iuuenale, ut opinor, tunica Iouis dicitur. Alio uero tempore prætores utebantur prætexta. Plutarchus in Cicerone, de Cornelio Lentulo, qui cum prætor eſſet, magiſtratu ſe abdicauit. σρατηγῶν γὰρ ἐτύγχανε, καὶ τὴν περιπόρφυρον βουλῇ καταθέμενος, διὰ λαξεν ἐσθῆτα τῇ συμφορᾷ πρέπουσαν. hoc eſt. Erat enim prætor, poſitaq; in ſenatu prætexta, fortunæ ſuæ congruam induit. Interpres aliter uertit, ſcilicet purpuream ueſtem. Vter ueritatis ſcopũ attigerit, doctorũ ſit iudiciũ. Nihil mihi ſumo, nihil interpreti detraho. Latius autem explicabo in prætexta eam ipſam eſſe, quam Plutarchus idem περιπόρφυρον appellat. Sed ad Martialem reuertamur, qui cum ait, centũ millibus, HS. intellige, quæ ſumma ære noſtro eſt, cinq mille francs. Cum lacernarum Tyriarũ poſuerit, cinq cens francs. Et ſanè ueſtẽ purpuream emere cinq mille francs, immenſum uidetur, niſi ſi quis de purpura dibapha intelligat, quæ in libras denarijs mille non poterat emi, ut ait Plinius. Atqui fuit tempus cum ἰσοσάσιος ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἄργυρον ἑξεταζομένη, ut ait Athenæus dipnoſophiſtarum libro xij. Vel fortaſſe Megalenſis purpura accipiẽda eſt ea quæ à prætoribus in ornatũ chori in ludis illis, partim emebatur, partim conducebatur, partim etiam commodato rogabat. Cuius meminit Plutarchus in Lucullo, ubi loquit de quodam prætore de ſpectaculis ambitioſe ſollicito, qui cum à Lucullo in chori ornatum chlamydes purpureas peteret,

Tunica Iouis.

Prætexta.

περιπόρφυρος.

Purpuræ Precium.

teret, ἀπεκρίνατο. σκεψάμενος ἂν ἔχειν δώσειν, εἶτα μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτὸν ὁπόσων δέοιτο. τοῦ δὲ ἑκατὸν ἀρέσειν φήσαντος, ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσαύτας. hoc est: Respondit inspecturum si domi haberet, daturumq; postridie uero interrogauit eum, quot sibi opus esset. Illo autem affirmante, centum sufficere, iussit dare bis totidem. Hactenus Plutarchus. Verum cum obfirmate decernere non ausim, uter sensus sit uerior, tamen eorũ alterum uerum esse putabo tantisper, dum quispiam ex eruditorum ordine mihi aliter persuadeat. Porrò autem ex Plinio satis constat immensum purpuræ precium fuisse, cũ ait: Conchylia quoq; et purpuras omnis hora atterit, quibus eadem mater luxuria, paria penè etiam margaritis precia fecit. Et paulo post: Congregantur uerno tempore, mutuoq; attritu lentorem cuiusdam ceræ saliuant. Simili modo & murices. Sed purpuræ florem illum tinguendis expetitum uestibus, in medijs habẽt faucibus. Liquoris hic minimi est in cãdida uena, unde precioſus ille bibitur sanguis nigrantis rosæ colore sublucens. Hactenus Plinius. A conchylio, conchyliata uestis. Cicero in Antonium: Conchyliatis Gnæi Pompei peristromatis seruorum in cellis lectos stratos uideres. *Conchyliata uestis.*

Et apud Iuuenalem:

Conchylia Coa. Iulius Cæsar conchyliatæ uestis usum, nisi certis personis, & ætatibus, perq; certos dies ademit, autor Tranquillus. Murices quoq; purpuræ usum præstant, *Murices.* in Tyro nobiles, ut ait Cælianus. Martialis in primo:

Olidæ uestes murice. Ouidius.

Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Et erat grauis odoris. Martialis.

Quod bis murice uellus inquinatum.

Inde iocus in Philenem:

Tinctis murice uestibus quod omni,
Et nocte utitur, & die Philenis,
Non est ambitiosa, nec superba,
Delectatur odore, non colore.

Ianthina etiamnum uestimenta, sunt uiolacea purpura in *Ianthina.*

ἴον. fecta. ἴον enim Latini uiolam dicunt. Plinius lib. xxi. Purpureæ latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeũt, ſolæq́ Græco nomine à cæteris diſcernuntur, appellatæ ia, & ab ijs ianthina ueſtis. Sic enim legendum ex emendatiſſimo codice. Martialis in ſecundo.

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.

Flores qui colore commendantur.

Id eſt ueſtimenta purpura uiolacea infecta. Luxuria enim, ut ait Plinius, ueſtibus prouocauit eos flores qui colore commendantur. Hos animaduerto tres eſſe principales. Vnum in cocco, qui in roſis micat, gratius nihil traditur aſpectu. Et in purpura Tyria, dibaphaq́ Laconica. Alium in amethyſto qui in uiola, & ipſum purpureum, quemq́ ianthinum appellamus. Genera enim tractamus in ſpecies multas ſeſe ſpargẽtia. Tertius eſt qui proprie conchylijs intelligitur multis modis. Vnus in heliotropio, & in aliquo ex ijs pleruncq́ ſaturatior: alius in malua ad purpurã inclinãs, alius in uiola ſerotina conchyliorum uegetiſſima. Sic enim legẽdum cenſeo. Nec tamẽ me fallit ab hyacintho flore, cum loto & croco ab Homero laudato, dici etiamnum, hyacynthina ea ueſtimenta, quæ cum eius floris colore certant, uel etiam eiuſdem nominis lapide. Perſius. Hic aliquis, cui circũ humeros hyacinthina læna eſt. Magnum ſanè diſcrimen eſſe, inter amethyſtinum & hyacinthinũ, palàm fit ex Plinio lib. XXXVII. ubi de hyacinthis: Multũ ab eo diſtat hyacinthos, tamẽ è uicino deſcendens. Differentia quod ille emicans in amethyſto fulgor uiolaceus, dilutus eſt in hyacintho, primoq́ aſpectu gratus euaneſcit antequàm ſatiet, adeoq́ non implet oculos, ut penè non attingat, marceſcens celerius nominis ſui flore.

Locus Plinij.

Hyacinthus. Hyacinthina.

Amethyſtini & Iacinthini differentia.

Quibus uerbis uidere eſt, Ianthinum, id eſt, uiolaceum legendum apud Plinium, non autem Iacynthinum. De Iacyntho uerſo in florem Ouidius tranſformationum decimo. Hactenus de purpura. Nec tamen omiſerim adſcribere uocabula, quibus Græci, & in his Pollux, ueſtes purpureas appellãt ea ſunt ἁλουργὶς, πορφυρὶς, φοινικίς. Hoc tamen ultimum potius colorem phœniceum quàm purpuram deſignat. Illud quoq́

ἁλουργίς. πορφυρίς. φοινικίς.

quoq; non omittendum Lacedæmonios in prælijs uſos ueſte quam φοινικίδα diximus, quæ cum ſanguinei coloris eſſet uulneratos fallebat, ſi ſanguis per eã defluueret. Hæc ex Græcorum commentarijs. Quod ſi ea requiris ἀυτοῖς ὀνόμασι. φοινικὶς ἔνδυμα λακωνικὸν, ὁπότε εἰς πόλεμον ἴοιεν ὁμόχρως αἵματι, ὡς ἀμείωστε πληγῆναι συμβαίη, μὴ εἰς φιλοψυχίαν ἀυτοὺς ἐμβαίνειν τὸ αἷμα ὁρώμενον. Purpuræ uero appellatione coccum nõ continebitur, ut placet Vlpiano in leg. Si cui lana. ſupra de legatis 3. Quod ſi uerum eſt non prorſus eadem ſentire uidebitur Matthæus, de ueſte qua induerunt perfidi Iudæi ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, cum Marco, & Ioanne. ait enim. περιέθηκαν ἀυτῷ χλαμύδα κοκκίνην, id eſt, Circumdederãt ei chlamydem coccinam. Marcus uero ait, qui Matthæi epitomen ſcripſit: καὶ ἐνδύουσιν ἀυτὸν πορφύραν. id eſt, Et induunt eum purpura. Ioannes quoq; καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον ἀυτὸν. id eſt. Et pallio purpureo circumdederunt eum. Vides ut Marcus & Ioannes de purpura conueniunt, Matthæus uero, uel Matthæi potius interpres, de cocco ſentit. Quo circa uel interpres in uertendo Matthæo falſus eſt, quod minime affirmare auſim, ſi Ioannes uertit, ut putant, uel Matthæus ipſe, coloris potius rationem habuiſſe uidetur quàm materiæ. Quandoquidem nemo rerum antiquarum peritus, inficiabitur illam purpuream fuiſſe, ſiue chlamys fuerit, ſiue trabea, ſiue toga picta, quæ erant antiqua patrũ munera, mittebanturq; regibus & amicis à P. R. appellatis, ut dicam in prætexta. Verum hac de re curioſus ad ſenatum Sarbonicum referat. Coccum igitur à Dioſcoride κόκκος βαφικὴ dictum, frutex eſt fullonius, cui adhærent grana, quibus fit color ille lanarum præcipuus, cuius copia ſumma in ea parte Hiſpaniæ, quæ Tudertania appellatur, ut eſt autor Strabo in tertio. Sunt qui putant eo abundare Germaniam, eſſeq; id, quod crameſinũ uulgo dicimus. Etiamſi Raphaël Volateranus multæ lectionis uir, exiſtimet id eſſe quod anthillum & anthicellum apud Plinium. Ego nil temere hac de re affirmare auſim. tantum dico à cocco dici cocci-

Coccum.

Locus Matthæi

κόκκος βαφικὴ.

Raphaël Volateranus.

na ueſtimẽta ea quæ cocco infecta ſunt. Martialis in ſecũdo.

Coccina. Coccina famoſæ donas & Ianthina mœchæ.

Iuuenalis.

Quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo.

Coccinatus. Vnde coccinatus. Martialis in primo.

Qui coccinatos non putat uiros eſſe.

Signum prælij futuri Roma. Illud uero hac in parte non omittendum uidetur, quod ſcripſit Plutarchus in Fabio, ſignum ſcilicet prælij futuri Ro. imperatoribus fuiſſe tunicam coccinam extenſam ſupra prætorium. ἅμα δ' ἡμέρᾳ τὸ φῶς μάχης σημεῖον ἀξέθηκεν, ἦν δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τὸ στρατηγικὸν σκηνὴς διατεινόμενος. hoc eſt: Prima luce pugnæ ſignum extulit. Eſt autem tunica coccina ſupra prætorium extenſa. Guarinus haud ſcio quam recte ueſtem purpuream uertit. Vexillum uero erat inſigne, cum ad arma cõcurri oporteret, ut memini me legiſſe in ſecundo commentariorũ Cæſaris. Antequàm uero à cocco & purpura diſcedo, non iniucundum lectori delicato fore arbitror, ſi ex Plutarcho addam memorabilem purpuræ uim & copiam, quæ Suſis ab Alexãdro captis, in ipſius deuenit poteſtatem. Verba Plutarchi ſubſcribam, ea ſunt in Alexandro. ὅπου, φησὶ, καὶ τὴν πορφύρας ἑρμιονικῆς εὑρεθῶσι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκαμένης μὲν ἔτη δὲ ἑκατὸν δεόντων διακοσίων πρόσφατον ἔτι τὸ ἄνθος ἔχουσαν καὶ φυλαττόσης. ἄλλον δὲ τοῦτον φασὶν εἶναι τὸν τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γενέσθαι τῶν ἀλουργῶν. hoc eſt: Vbi aiunt & purpuræ Hermionicæ inuenta quinquaginta millia talenta, repoſitæ quidem ab annis fermè ducentis, recentemq; adhuc coloris florem, nouumq; ſeruãtis. Huiuſce uero rei cauſam adferunt, quod

Talentum. infectura purpuræ ex melle facta ſit. Talentum accipe pro pondere. Iam & illud adſcribam ex Athenæo, ubi de ſcena Alexandri, cuius meminit Budæus in lib. de aſſe. καὶ πρῶτοι μέν, inquit, πέρσαι πεντακόσιοι μηλοφόροι περὶ αὐτὴν ἔντος εἰσῆκε σαν πορφυρᾶς καὶ μηλίνας ἐσθῆσιν ἀξιοσημάτους, μετὰ δὲ τούτους πρόσαι τὸν ἀριθμὸν χίλιοι, οἱ μὲν φλογινὰ ἔνδυκότες, οἱ δὲ, ὑσγινοβαφῆ πολλοὶ δὲ καὶ κυάνεα εἶχον περιβόλαια. Et paulo poſt, εἶτα μύριοι πέρσαι

πέρσαι τότε τὴν πρφύραν ἔχον πλῆθος, οἷς ἀλέξανδρος ἔδωκεν φορεῖν τὴν στολὴν ταύτην. hoc est. Et primi quidē Persæ quingenti pomigeri, intus ad prætorium astiterant, purpureis ac melinis uestibus ornati. Post hos uero mille sagittarij, quorum alij flammea induti, alij hysginea, multi uero & cyanea habebāt circumiecta. Præterea Persarum decem millia, & purpuræ ius habens turba, erāt circiter quingenti, quibus Alexander gratiam fecit huiusmodi stola uti. Quod uero apud Athenæum ὑσγινοβαφῆ scriptum est, nos uertimus Hysginea. Est autem Hysginum planta colore flaua, & inde ὑσγινοβαφῆ dicta τὰ ὑπ' αὐτοῦ βεβαμμένα. Hoc legisse memini in scholijs in Nicandrum, si tibi probatus autor. Hysgini uero mētionem facit Plinius li. XXXV. ca. VI. Et Vitruuius in octauo. Quod si uerum est, falluntur qui censent apud Plinium libro nono cap. XLI. legendum, Hysginum. Neq; enim ipse uideo quonam pacto ex cocco & Tyrio simul mixtis fieri posset color flauus, & hysgineus. Quinetiam operæprecium uisum est, memorabilem Sardanapali luxum ex Athenæo subscribere quem nequissimus ille, ad rogum usq;, finemq; uitæ exercens, perseuerauit, qui cum mori destinasset, præter auri, atgētiq; uim incomparabilē, secū pallia, purpuras, stolas innumerabiles in rogo concremauit. Verum non ab re erit, opinor, tragœdiam ipsam ex Athenæo totam perspiciendā proponere. Sardanapalus, quem alij Anacindaraxi filium, alij, Anabaxari aiunt, in regia clausus, à nemine præterquàm ab eunuchis & uxoribus uidebatur. Cū uero Arbaces Medus suorum unus satraparum, per eunuchum Paranesum, ægre impetrasset, ut in regis conspectū admitteretur, illius iussu admissus, uidet eum Medus cerussatum, muliebriq; cultu & cura ornatum, unà cum scortis purpuram carminantē. Erat autem lacte candidior. Cum itaq; Medus id ægre tulisset, qd talis, scilicet ipsis imparet, bellū adornat, collectisq; utrinq; copijs, uictus tandem, fugatusq; ab Arbace Sardanapalus mori destinauit. Qui in regia pyrā, immane quantum altam, cum excitasset, ac in ea ipsa pyra domum ligneam, in qua cu

ὑσγινοβαφῆ. Hysginum.

Sardanapali historia.

bilia strauit, ibicꝙ decubuit cum uxore. Scorta quocꝙ in alijs cubilibus erant. Siquidem tres filios, duasꝙ filias rebus desperatis Ninum emandauerat, regisꝙ oræ illius fidei commendauerat, datis auri talentis 3000. In domo autem illa lignea circumposuit auri mille myriadas, argenti uero, decies mille myriadas talentũ. ut pallia & purpuras, & stolas omni genas. mox ignem pyræ summitti iussit, quæ ardebat totos quindecim dies.

CAPVT IIII.

De lineis uestibus.

LInea) Quod ad linũ attinet, linea tunica à Græcis dicitur λινοῦς χιτών, quam Athenienses talarem gestabant. autor Pollux. Illud non ineptũ fuerit addere, quod de lino asbestino scripsit Plinius. In

Asbestinum.

uentum iam est etiam quod ignibus non absumeretur, uiuũ id uocãt. ardentesꝙ in focis conuiuiorũ ex eo uidimus mappas sordibus exustis splendescentes igni, magis quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo separent cinere. Nascitur in desertis, adustisꝙ sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitꝙ uiuere ardendo. Rarum inuẽtu, difficile textu, propter breuitatẽ. Vocatur autem à Græcis asuestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus autor est, linteo eo circundatam arborem surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe. Porrò autẽ Strabo in decimo,

Lapis Caristius.

scribit in Caristo lapidem nasci, quem tondere solẽt, & mox nere, ex quo fiunt χειρόμακτρα, id est, mantilia, quæ sordida facta, flammis emundari solent, non aliter, quàm aquis. ἐνδὲ τῇ, inquit, καρίσῳ ἡ λίθος φύεται, ἣ ξαινομένη καὶ ὑφαινομένη, ὥστε τὰ ὑφάσματα χειρόμακτρα γίνεσθαι. ῥιπτωθέντα δὲ βάλλεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν πῖνον τῇ πλύσει παραπλησίως. In Aldinis codicibus quædam uocabula supersunt. Tu in hunc modum su

Bulbus lanifer

prascriptum emenda. Est & bulbi genus lanam ferẽs, quod in litoribus nascitur. Habet autem lanam sub primis tunicu lis, inquit Theophrastus apud Athenæum, in secũdo. ὑφαίνεται δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ πόδια καὶ ἄλλα ἱμάτια. hoc est: Texuntur autẽ

χειρόμακτρα.

ex ea fascíæ pedales, & alia uestimẽta, ut & Phænias ait. χειρόμακτρα

ῥόμακτρα δὲ καλεῖται, inquit Athenæus in ix. ᾧ τὰς χεῖρας ἀπε-
μάττοιτο. id est: quo manus abstergebant. Plinius xix. capite
secundo. Theophrastus autor est, esse bulbi genus circa ri-
pas amnium nascens, cuius inter summum corticem, eamq́
partem qua uescuntur, esse laneam naturã, ex qua mapalia,
uestesq́ quondam conficiebantur. Sed neq́ regionẽ in qua
id fiat, neq́ quicquam diligentius, præterquàm eriophoron *Eriophoron.*
id appellari. Plinius quoq́ in xij. multa refert de arboribus
Persicæ insulæ, lanigeris, quem, si non est molestum, uide.
Neq́ enim in hunc libellum nostrũ transcribere est animus.
Quin & alia pleraq́ prudentes sciẽtesq́ omisimus, ne in im-
mẽsum ijs, quæ Græci uocant ἀπροσδιόνυσα, uolumen excre
sceret. Byssus etiamnum lini species in India nascens, iam ue *Byssus.*
ro & Aegypto, ex arbore lanicium quoddam fit, ex quo ue-
stem factam quis lineam magis dixerit, quàm laneam. Sola
enim crassitudine à linea differt, autor Pollux. Plinius uero
circa Oelim in Achaia gigni autumat, mulierum maxime
delicijs.

CAPVT V.

VEl Serica.) Seres gens Indica Stephano de urbi- *Seres.*
bus. Sunt & qui eos inter Schytas adscribãt, qui
spectant ad orientem æstiuum. Vermiculus qui-
dam apud eos est, qui σὴς appellatur, ac sericum
inde appellatum procreat. Quod & sentit Pollux in septimo *Sericum unde dicatur.*
ad Commodum. Cuius uerba placitum est subscribere. Ἔνιοι
δέ, inquit, καλοῦσι σῆρας ἀπὸ τοιούτων ἑτέρων ζώων ἀθροίζειν φασὶ
τὰ ὑφάσματα.

Vergilius.

Ignoti facie, sed noti uellere Seres.

Martialis quoq́ serica, pro ueste serica usus est: *Serica.*
Nec aliter dentes, quàm serica nostra reponis.

Apud Tacitum in secũdo, sirica scriptum est, pro serica.
Proximo senatus die, multa in luxum ciuitatis dicta à Q. Ha
terio consulari, Octauio Frontone prætura functo, decre-
tumq́, ne uasa auro solida, ministrandis cibis fierent, ne ue-
stis serica uiros fœdaret. Tacitus quoq́ imperator, ut Flaui- *Tacitus imperator.*
us Vopiscus scriptũ reliquit, holosericæ uestis usum, omni-

Holoſericaueſtis. bus uiris interdixit. Eſt autem holoſerica ueſtis tota exſerico, nulla alia materie, qua primus Romanorũ uſus eſt Antonius Heliogabalus, autor Lampridius. *Subſerica.* Subſerica uero, eſt cuius ſubſtamen ex ſerico eſt, cuiuſmodi fortaſſe uideſ id quod Satin de bruges uulgo dicimus. Holoſericæ ueſtis precium immenſum fuiſſe cõiecio, ex Flauio Vopiſco in Aureliano, his uerbis: Veſtem holoſericã, neq; ipſe in ueſtiario ſuo habuit, neq; alteri utendam dedit. *Aureliãi dictũ* Et cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blateo ſerico uteretur, ille reſpõdit, abſit, ut auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit. Hactenus Flauius. *Blateus color.* Blateũ pro purpureo interpretatur Baptiſta Aegnatius. Neq; uero cuipiam mirum uideri debet, quandoquidem antea conqueritur Plinius, tam longinquo *Serũ barbaries* orbe peti, ut in publico matrona transluceat. Adde quod gens illa, unde ſericum petitur, nullum cum cæteris mortalibus habet commercium. Quod Stephanus ait, ἀπροσμιγὲς ἀνθρώποις. Nunc paſſim in Italia, & in ea Lucæ, magna uis & copia monachorum neſcio quorum, quos refert Procopius, uermiculorum ſemen, id eſt, ut ita dicam, ouula, imperatori *Serinda ciuitas* Iuſtiniano Cõſtantinopolim ex Serinda Indiæ ciuitate, attuliſſe, unde toti fermè Europæ copia facta. Eſt mihi ſoror *Martha Bayfia* Martha nomine, quæ iſtiuſmodi lanicio uelut altera Pallas, ſummopere delectatur, quæ me iſtorũ uermiculorum naturam docuit. Appetente uere oua, piſcium ouis haud abſimilia linteolo adhæreſcentia, radijs ſolis exponunt, caloreq; fouent. Quo fit ut uermiculi excludantur, quos primum lactucis, mox mori folijs enutriunt. quibus iam grandioribus penulas cuiq; chartaceas, ut ita dicam, uel inuolucra potius, diſtribuunt, quibus incluſi, mirabili naturæ opere lanicio ſeſe inuoluunt, cui color partim candidus, partim flauus. Ammi- *A. Marcellinus de Seribus.* anus Marcellinus lib. xxi. aliter ſentire uidetur, cuius uerba libitum eſt adſcribere. Agunt autem ipſi quietius Seres, armorum ſemper et præliorum expertes, ut qui hominibus ſedatis & placidis eſt ocium uoluptabile, nulli finitimorũ moleſti. Cœli apud eos iucunda, ſalubriſq; temperies, aëris facies

cies munda, leniumq; uentorum commodissimus flatus, & abunde syluæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergínibus crebris, uelut quædam uellera mollientes, ex lanugine & liquore admixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesq; subtegmina, conficiunt sericum ad usus ante hac nobilium, nunc etiam infimorũ sine ulla discretione proficiens. In qua opinione fuisse uidetur Vergilius, cum ait:

Folijs depectunt uellera Seres.

Et Plinius in sexto. Seres lanicio syluarũ nobiles, perfusam aqua depectentes frondium caniciem.

Vestis serica olim Medica dicebatur, autor Procopius libro primo de bello Persico. *Medica uestis.*

CAPVT VI.

VEl bombycina.) Bombyces telas aranearum more texunt, inquit Plinius, ad uestem luxumq; fœminarum, quæ bombycina appellantur. Quod et dixisse uidetur Pollux in septimo ad Commodum, his uerbis. τὰδὲ ἐκ βομβύκων, σκώληκές εἰσιν οἱ βόμβυκες, ἀφ' ὧν τὰ νήματα τὰ ἀνύενται, ὥσπερ ὁ ἀραχνης. Bombycum telam prima retorqueri, rursusq; retexere inuenit in Co, mulier Pãphile, Platis filia, non defraudanda gloria excogitatæ industriæ, ut denudet fœminam uestis bombycina. Martialis. *Bombyces.* *Bombycina.* *Pamphile Coa.*

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.

Quæ à Co insula, Coa uestis appellatur. Propertius. *Coa uestis.*

Quid iuuat ornato procedere uitta capillo,
Aut tenues Coa ueste mouere sinus? Ouidius.
Siue erit in Cois, Coa decere puta.

Viri quoq; utebãtur, quod probri uice arguit Plinius his uerbis; Nec puduit has uestes etiam uiros leuitate usurpare, propter onera æstiua, intantũ à lorica gerẽda discessere mores ut oneri sint etiam uestes. Assyria tamen bombyce fœminis cedimus. Consideranti uero mihi, atq; animum conuertenti ad ea quæ Plinius de Coa bombyce scriptum reliquit, isti uermiculi, quos apud sororẽ nutriri uidimus, ij ipsi sunt qui bombyces à Plinio describuntur. Cuius uerba, obsecro te candide lector, mecum etiam atq; etiam cõsidera. Etenim

Quid proprie sericum.

si uerum est, falluntur, qui sericum putant esse quam uulgo setam dicimus, quamq; conficiunt isti uermiculi, qui passim in Italia & Gallia lanicij causa nutriuntur. Verba Plinij hæc sunt. Fieri autẽ primo papiliones paruos, nudosq;. Mox frigorum impatientia uillis inhorrescere, & aduersus hyemẽ tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radente foliorum lanuginẽ in uellera. Hanc ab his quoq; cogi, subigiq; unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine, postea apprehẽsam corpore, inuolui nido uolubili, tunc ab homine tolli, fictilibusq; uasis tepore & furfurũ esca nutriri, atque ita subnasci sui generis plumas quibus uestitus ad alia pensa dimitti. Quæ uero capta sit lanificia humore lenteſcere, more ceræ, mox in fila tenuari iunceo fuso.

CAPVT VII.

De uestibus aureis.

Nec est quod mireris, hic iureconsultum, nullam de aurea ueste fecisse mentionem. Nam ad ea potius debet adaptari ius, quæ & frequenter & facile, quã ad ea quæ perraro eueniunt. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, ut ait Theophrastus, παραβαίνεσθαι οἰνομοθέτας. Necq; enim tam frequens erat usus panni aurei, temporibus illis, quàm est hodie, quo uel hippotoxotæ nostrates, nec nisi prosciſſo utuntur. Sed tamen tunica aurea triumphasse

T. Priscus.

Tarquinium Priscum Verrius apud Plinium tradit. Asseueratq; idem Plinius, se uidisse Agrippinam Claudij principis uxorem, ædente eo naualis prælij spectaculum, assidẽtem ei

Cornelius Tacitus.

indutam paludamento auro textili, sine alia materie. Quod uero de paludamento aureo ait Plinius, Cornelius Tacitus, qui in historia conscribenda Plinium non semel sequutus uidetur, non paludamentũ dixit, sed chlamydem auratam. Vt aũt nihil insit discriminis, inter paludamẽtũ & chlamydẽ, tamen non idem uidetur auratũ dicere, & auro texili nulla alia materie. Verba Taciti non grauabor subscribere, quando non parum facere uidentur, ut mens Plinij apertior fiat & di

Expensus locus Taciti.

lucidior. Ea sunt in xij. Sub idem tempus inter lacum Fucinum, amnemq; Lyrin, perrupto monte, quo magnificentia

operi

operis à pluribus uiseretur, lacu in ipso nauale prælium ador natur, ut quondam Augustus, structo cis Tyberim stagno, sed leuibus nauigijs, & minore copia ædiderat. Claudius tri remes, quadriremesq́, & undeuiginti hominum millia arma uit cincto ratibus ambitu, ne uaga perfugia forent, ac tantũ spacium amplexus, ad uim remigij, & gubernantium artes, impetus nauium, & prælio soliti in ratibus prætoriarum co= hortium manipuli, turmæq́ adstiterant, antepositis propu= gnaculis, ex quis catapultæ, balistæq́ tenderentur. Reliqua lacus classiarij rectis nauibus obtinebant, ripas & colles ac mõtium ædita, in modum theatri multitudo innumera com= pleuit, proximis è municipijs, & alij urbe ex ipsa, uisendi cu pidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neq́ procul Agrippina, chlamyde aurata præsidere. Vides ut quod Plinius paludamentum auro textili dixit, Tacitus, chlamydem auratam dixerit, sed tamen Plinio testi oculato fides potius habenda. Ouidius quoq́ pallæ aureæ meminit. Ipse deus uatum palla spectabilis aurea.

Palla aurea.

Porrò autem utebantur auro intexto, inuento regũ Asiæ in Attalicis maxime. Plinius in octauo. Aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus rex, unde nomẽ Attalicis. Quin & illud adscribendum duxi, quod de Aureliano Vopiscus, habuisse uidelicet in animo, ut aurum, neq́ in cameras, neq́ in tunicas, neq́ in pelles, neq́ in argentum uerteretur, dicẽs: plus auri esse in rerum natura, quàm argenti, sed aurum per uarios bractearum, filorum & liquationũ usus perire, argen tum autem in suo usu manere. Idem Vopiscus autor, Taci= tum imperatorem auro clauatis uestibus interdixisse. Nam & ipse autor Aureliano fuisse perhibetur, ut aurum à uesti= bus & cameris & pellibus submoueret. Auro clauatæ uestes quæ sint, docet Ioãnes Baptista Aegnatius, uir doctissimus, in scholijs suis in Lampridiũ, & alios. Ait enim eas esse, quæ clauos aureos haberẽt, credo ex Festo Pompeio, apud quem legere est, clauata, dici uestimenta clauis intexta, aut calcia= menta clauis cõfixa. Sed cum addit, Nos flores appellamus,

Attalus. Attalicæ.

Dictum Aureli ani.

Baptista Ae= gnatius.

Clauata.

Claui aurei. haud satis quid uelit, intelligo. Si enim de ijs quos boutõs & fers dor, & orfres, dicimus, illi prorsus assentior, de qbus sentire uidetur Iureconsultus in l. Cum aurum. cum l. se. supra eodem. Quemadmodũ, inquit, claui aurei & purpurei, pars sunt uestimentorum, & si non sunt claui uestimentis consuti tamen ueste legata contineri. Si uero de illis floribus intelligat, qui eorum artificio uestibus inseruntur, quos acupictores dicimus, uide tu lector etiam atq; etiam, ne te tanti uiri autoritas decipiat. οὐ γὰρ πρόγε ἀληθείας τιμιτέος ὁ ἀνὴρ, καίπερ ὢν ἐλλόγιμος ἐν τοῖς πάνυ. Siquidem Vlpianus, ut

Insitæ picturæ. diuersa adscripsit hac ipsa lege insitas picturas, & clauos aureos, cum ait: Et quæ his accessionis uice cedũt, quæ sunt insitæ picturæ, clauiq; qui uestibus insuuntur. Quintilianus li. iij. Vt affert lumen clauus purpuræ loco insertæ, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis uestis. Quibus uerbis

I. Gillius. Gillius noster censet elici posse unicum tantum clauum purpureum adijci tunicæ, quæ ob id dicatur tunica laticlaui & latus clauus, quod haud scio an uerum sit. Quod autem ait

Pictæ uestes. Vlpianus, insitæ picturæ, inde pictæ uestes dictæ, quas iam apud Homerum fuisse constat. Plin. unde triumphales natæ. Iuuenalis.

Et latum pictæ uestis considerat aurum.

Babylon Colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen imposuit. Plurimis uero licijs texere, quæ

Polymita. πολύμιτα appellant, Alexandria instituit. Martialis.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, uicta est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

CAPVT VIIJ.

Zonæ. Præcingẽdi, ut cingulum, ut zona, & quæ præcingendi causa parari solent.

Quod uero ad zonam pertinet, illud non omiserim quod Strabo lib. Geogra. quarto scriptũ reliquit, Gallos olim solitos dare operã, ne obesi fierẽt, & uentricosi, punireq; iuuenem certam zonæ mẽsuram excedentem. Verba Strabonis subscribam. Tu qui

Græce

Græce neſcis ipſa tranſmitte. ἴδιον δὲ καὶ τοῦτο. ἀσκεῖν γὰρ ἑαυτοὺς μὴ παχεῖς εἶναι, μηδὲ προγάστορας. τὸ μὲν ὑπερβαλλόμενον τῶν νέων ἐν τῇ ζώνῃ μέσον ζημιοῦσθαι. Succincti dicuntur milites, quod breuioribus ſagis utentes altius cincti uidẽtur. Accincti quo que gladio. Tacitus in undecimo. Ferũtq; militem, quia ual lum non accinctus, atq; alium, quia pugione tantum accin= ctus foret morte punitos. Nonnunquam uero ignominiæ cauſa cogebãtur milites tunicati & diſcincti foſſam fodere, præſentibus, ſpectãtibusq; alijs militibus. Qua pœna uſum Lucullum in eos milites, à quibus in quodã prælio fuga cœ= pta, autor Plutarchus, in Lucullo. ἀλμίαν τινὰ τοῖς φεύγουσιν νομισμένην προσέβαλε, κελεύσας ἐν χιτῶσιν ἀζώστοις ὀρύξαι δώδε= κα πόδας τάφρον ἐφεσώτων ἡβηθεμένων τῶν ἄλλων στρατιωτῶν.

Succincti.
Accincti.
Diſcincti.

Cæſar item Auguſtus pro delictorum genere uariſs ignomi niſs milites affecit, ut ſtare per totum diem iuberet, ante præ torium, interdum diſcinctos, tunicatosq;. autor Tranquillus

Cæſar Augu= ſtus.

Cæterum hoc in loco, bona tua uenia, lector candide, Iure= conſultum agam. Aduerte tu rabula, quia eſt de pane lucran do, ait Vlpianus præcingendi, non autem accingendi. Si em̃ accingendi dixiſſet, ueſtimentorum appellatione gladius cõ prehenderetur. quod nequaquam uidetur rationi conſenta= neum. De armis quæ tegendi cauſa parari ſolent, dubium ui deri poteſt. mouet quæſtionem, primum, quod loricam anti qui lineam geſtabant, ac ipſe Magnus Alexander, qui Aſiæ imperium obtinuit, lorica linea uſus dicitur, ut memini me legiſſe apud Plutarchum in Alexandro. Et thoracibus lineis antiquos pugnaſſe teſtis eſt Homerus. Deinde quod iſtiuſ= modi arma tegumenta corporis appellat Liuius his uerbis. Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære hæc, ut tegumenta corporis eſſent. Poſtremo quod hu= ius legis contextu uidetur militaria omnia comprehendere. Ait enim: Vt ſaga & reliqua ſimilia. Saga enim militũ ſunt, ut aliâs dicam. Quare ſi proponatur Sempronius miles teſta mento ita cauiſſe: Omnia mea ueſtimenta Caio Sceuæ cõtu bernali meo do, lego, quæſtio eſt, an huic legato, arma quæ

Præcingere, ac= cingere.
Lorica linea.
Thoraces li= nei.
Saga.

tegendi causa parata sunt, quibus & utebatur Sempronius le gato cedant. Respondeo secundum ea quæ proponantur, non cedere. Siquidem alia causa uestimentorum, alia armorum. Vestimenta enim inuenta sunt, ut nos à frigoribus, calore, & imbre tutarentur, arma uero, ut à telorum impetu. Cũ igitur separata sint, eorũ separata quoq; ratio sit necesse est. Si mihi non credis, citabo tot iura, glossas singulares & unicas, quot unquam Barbatius in suis consilijs.

Vestimenta. Arma.

CAPVT IX

Toga quæ fuerit.

Eluti togæ) Tunicæ toga superimponebatur, uel tunicis potius. Nec mihi uelim fidem ut adhibeas, nisi autorem laudarim ἀξιόπιστον, Plutarchum scilicet, qui in Tiberio & Caio sic ait: ἀυτοῦ δὲ τοῦ Ἀβεζίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων. ὁ δὲ τὴν τήβεννον, id est, togam, ἀφεὶς ἠλθ φεύγων, ὥν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη. Quibus uerbis apparet, cum quis Tiberij uestimenta comprehendisset, abiecta toga eum aufugisse, tunica tum & cecidisse. Toga erat Romanorum. Augustus igitur, uisa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus acclamitans: En ait, Romanos rerum dominos, gentẽq; togatam. Et sanè fuit tempus, quom fex uulgi non temere unquam Romæ toga uteretur, sed sola tunica. Quamobrem plebem Romanam Tacitus tunicatum populum appellat. Cuius uerba extant in oratorum dialogo. Quod sæpius uulgus imperitum & tunicatus hic populus transeuntis nomine uocat, & digito demonstrat. Quod uero τήβεννον Plutarchus dixit, Athenæus τήβενναν dixit, in quinto, ubi de Antiocho, πολλάκις δὲ ὢν τὴν βασιλικὴν ἀποθέμενον ἐσθῆτα τήβενναν ἀναλαβών, περιῆν κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀρχεσιάτων. Meminit & in decimo, ijsdem fermè uerbis. Toga quoq; pro pacis artibus. Cassius ad Tullium. Est enim tua toga omnium armis felicior. Enimuero antiquitus, uel in bello togis utebantur Romani, autor Plutarchus in Coriolano. ἦν δὲ τότε τοῖς ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισαμένοις, ἠλ μέλλοσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, ἠλ περιζώννυσθαι, τὴν τήβεννον, ἅμα ἠλ σιαθήκας ἀγράφους γίνεσθ

Tunicatus populus.

τήβεννος. τήβεννα.

Toga pro pacis artibus.

γίνεσθ τρίωμ ἢ πεντάζωμ ἐπακουόντωμ ὀνομάζοντας τὸμ κληρονόμομ.

hoc eſt: Fuit autem temporibus illis mos Romanis, ut in acie cõſtituti, priuſquàm clypeos reciperent, togaſq; præcingerent, teſtamenta in porcinctu facere, tribusq; aut quatuor audientibus, hæredem nominatim inſtituere. Et hoc erat teſtamentum quod procinctum appellatur à Iuſtiniano, titulo de teſtamentis. Poëtæ togulam uſurpant pro toga, ni fallor, *Teſtamentum procinctum.* *Togula.*

Martialis.

Trita quidem nobis togula uiliſq;, putriſq;,
Denarijs tamen hanc non emo Baſſe tribus.

Et in ſeptimo.

Pro togula debes, hoc ad te pertinet Olle.

A toga fit togatus & togatulus. ut apud Martialẽ undecimo *Togatus.* *Togatulus.*

Iam parce laſſo Roma gratulatori,
Laſſo clienti, quàm diu ſalutator,
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto. Et in eodem.
Hoc quiſquàm ferat, ut tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum.
Librorum mihi ſit minor meorum.

Cum ait Martialis, centum plumbeos pro centum quadrantibus accipe, quibus hodieq; Romani utunt & quatrins uocant uulgo, corrupto uocabulo, ut ferè fit, ita tamen ut mirum quantum deſciuerit. Quod enim Latini quadrans dicebant, hodie Romani dicunt quatrin, quorum decem duodecim denariolis, id eſt duodeno permutantur, ut prolixiſſime docuit Budæus in libris de aſſe. Budæus inquã ille, qui uelut alter Mercurius, mira ingenij felicitate, dicam, an induſtria, rem nummariam iam pridem antiquitatis tenebris inuolutam, uel immerſam potius, uelut ab inferis reuocauit. Quo nomine ſtudioſorum ſanè nullus duntaxat eorũ, à quibus liuor abeſt, quin illi hoc tempore plurimum debeat, & debere fateatur, ſi qui ſint qui inuideant,

Plumbei. *Quadrant.* *G. Budæi laus*

Rumpatur quiſquis rumpitur inuidia.

Per centum quadrantes ſportulam intellige, quæ togatis *Sportula.*

dabatur à potentioribus, ut deducerentur & reducerentur per urbem incedentes. Martialis.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos
Attrita ueniet sportula sæpe toga.

Idem Martialis:

Nec uocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec uult credere, sed nec habet.
Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum.
Heu quàm perfatuæ sunt tibi Roma togæ.

Solebant enim Romani togati potentiores comitari per urbem. Tullius ad Atticum primo. Quom ad forum stipati gregibus amicorum descendimus. Quod ipsi Martiali erat permolestum. quippe qui inter cæteras uitæ felicitates togã raram optet. Versus ipsius quoniã uisi sunt iucundissimi, & ad uerbum ediscendi, lubentes commeminimus.

Togarara.

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis, hæc sunt.
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis thorus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breues tenebras.
Quod sis esse uelis, nihilq; malis.
Summum nec metuas diem, nec optes.

Togam raram optat, id est, ne cogatur bene mane togatus circumuolitare limina potentiorum, salutationis defuturus officio. Nec tanti putat esse sportulã illam, quæ cuiq; in dies singulos dabatur, centum scilicet quadrantes. Ea summa nummi nostratis ualet decem solidos. De qua Iuuenalis in prima. Sportula primo

Centum quadrantes,

Limine parua sedet turbæ rapienda togatæ.

Et paulo

Et paulo post.

Densissima centum
Quadrantes lectica petit.

Et apud Martialem sexcentis in locis. Fuit tempus quom toga commune uestimentum esset diurnum ac nocturnum, & muliebre & uirile. Postea uero mos fuit, ut mulieres adulterij conuictæ uirili toga indutæ, in publicum procedere cogerentur, ut legi apud Isidorum non omnino pessimum autorem. Cui adstipulari uidetur Martialis, cum ait: *Adulterij poena.*

Coccina famosæ donas, & ianthina mœchæ.
Vis mage, quæ meruit mittere, mitte togam.

A toga, togatus. Inde Lucullus, piscinarius Xerxes togatus, à Magno Pompeio dictus, ut testatur Plinius. Vt uero Plutarchus refert, à Stoico Tuberone, his uerbis in Lucullo ηὐλιαύτας ἐναλίους κτίζοντα ὁ σωϊκὸς τυβέρων θεασάμενος, ξέξλω ἐκ τυβέωνος προσηγόρευσεν. hoc est: Et maritimas ædes excitãtem conspicatus Tubero Stoicus, Xerxem eum togatũ appellauit. Interpres uertit Xerxem ex togato homine. id quã recte, uel mediocriter eruditi iudicabũt. A toga quoq; dictæ comœdiæ togatæ, quæ Romanorũ, palliatæ uero quæ Græcorum. Iuuenalis: *Togatus. Xerxes togatus. Comœdiæ togatæ.*

Impune ergo mihi recitauerit ille togatas?

CAPVT X.

SAturnalibus per quinq; dies S. P. Q. R. togas reponebant, & syntheſibus utebantur, & erât uiliores uestes. Martialis in apophoretis. *Synthesis.*

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Synthesis quoq; accipitur pro tota ueste in uestiario composita, in leg. Titia, §. Semproniæ, infra. Synthesis enim Græcũ uocabulũ compositionem notat. Nec hoc loco necessarium puto aliorũ deliramenta super hac re referre. A toga Galliæ pars dicta togata, quod eius regionis homines toga passim uterentur. Et est Italiæ pars quæ intra Padũ, Rubiconemq; ac Apenninũ montem est, ut Plinius docet & Ptolemæus. σύνθεσις. *Gallia togata.*

Martialis.

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Hispani togati Dicti quoq; Hispani togati, & stolati, qui Beticam incolũt, Latinorũq; ius adepti sunt, & in quorum agris coloniæ Romanorũ deductæ. Autor Strabo in tertio, ἤδη δ' ἦν, inquit, τῶν ἰβήρων ὅσοι ταύτης εἰσὶ τῆς ἰδέας σολάτοι λέγονται καὶ τογάτοι. Toga ti etiamnum dicuntur pacis amatores. Tullius lib. quarto ad Atticum: Ergo erimus ὁπλῖται, qui togati esse uolumus. *Togati pro pacis amatoribus.*

Toga pura. Toga pura, tyrones, nouæq; nuptæ induuntur. Plinius in octauo ubi de C. Cæcilia loquitur. Ea prima texuit rectã tunicam, qua simul cũ toga pura tyrones induuntur, nouæque nuptæ. Tullius ad Atticum. Et si Ciceroni meo togam purã cum dare Arpini uellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. Et alibi nõ semel. Toga pura quid sit, si nescis, disce ex Plutarcho in Antonio. ἐγγράφων μὲν εἰς ἐφήβους τὸν κλεοπάτρας παῖδα καὶ καίσαρος, τὸ δὲ ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον ἀντύλλῳ τῷ ἐκ φουλβίας περιτιθείς. hoc est: Adscribens inter ephebos Cleopatræ filium & Cæsaris, iustam uero & sine purpura uestem Antyllo suo ex Fuluia filio imponens. Hoc ideo uerti ad uerbum, ut Græcarum literarũ rudes intelligerent, eam uestem, quæ toga pura à Cicerone dicitur, ἀπόρφυρον, id est, sine purpura, & τέλειον, id est, iustam, & ut opinor, uirilem dici à Plutarcho. Nec me fallit alibi à Plutarcho dici ἀνδρεῖον ἱμάτιον, in Bruto scilicet, his uerbis: οἱ δ' ἄλλοι πρὸς κάσσιον ἀθροισθέντες τὸν υἱὸν αὐτοῦ, τὸ καλούμενον ἀνδρεῖον ἱμάτιον ἀναλαμβάνοντα κατήγομεν εἰς ἀγοράν. Hoc est: Alij Cassio congregati, eius filium sumentem uirilẽ togam, deducebant ad forum. Quod si quis negaret eandem esse uirilem & puram, quod ad masculos, conuincam ex Tranquillo in Augusto, his uerbis: Legata, uel partes hæreditatum, & à quibuscunque hæredibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent die uirilis togæ, uel nuptiarum. Quod ait, uel nuptiarum, pro puellis accipio, quæ ut inquit Plinius, toga pura eo ipso die induebantur, quæ in nouis nuptis inepte uirilis diceretur. At in masculo & *togæ ἀπόρφυρος & τέλειος* *ἀνδρεῖον ἱμάτιον.* *Eadem est uirilis & pura.*

lo & toga pura, & toga uirilis, nisi fallor, dici potest. Nec me fallit Perottum aliter scripsisse, quare fit ut subsistam. Nec tamen te moueat, quod Plutarchus alibi, καθαρὰς ἐσθῆτας, ἢ καθαρόμιμάλλον dixerit, id est, si uerbum è uerbo uelis puras uestes, & purum palliũ. Ego enim pro candido accipiendum uel ipsius Plutarchi uerbis cõprobabo. Plutarchus in Catone, ubi ait, uiros Antiochenses ad excipiẽdum Pompei libertum Demetrium, festo cultu ornatos. ἐσθῆτας δὲ, inquit, καθαρὰς ἔνιοι, ἢ στεφάνους εἶχον, id est: Vestes quoq; candidas nonnulli & coronas habebãt. Interpreti condonandũ, quod puras uerterit, uerbum è uerbo. Ipse enim Plutarchus hanc eandem historiæ partem in Pompeio retexens, ἢν ἐσθῆσι λευκαῖς, id est in candidis uestibus ait. Sic & in Aemilio. ἐθεῶντο καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένοι. Sic meo quidem iudicio, toga pura dicebatur, cui nulla purpura prætexta erat. Posita uero prætexta, uirilem togam sumebant Romani, decimasexta annorum ætate, ut conijcere est, ex Tranquillo in Augusto, in hæc uerba. Duodecimum annum agens, auiam Iuliã defunctam pro concione laudauit. Quadriennio post, uirili toga sumpta. Ipse tamen permisit liberis senatorum, quo celerius reipub. assuescerent, protinus uirilem togam, latum clauum induere. autor Tranquillus. Porrò autem prætexta dicebatur cui purpura prætexitur, quam Plutarchus in Sertorio περιπόρφυρον appellat. οἱ δὲ πατέρες, inquit, ἥδοντο θαυμασῶς τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες. hoc est: Patres uero mirifice lætabantur, cum prætextis ornatos filios cernerent. Et in Romulo. γέροντα μὲν ἄγουσι δι' ἀγορᾶς εἰς καπιτόλιον ἐν περιπορφύρῳ, βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἄφαντες. hoc est: Senem ducũt per forum in Capitolium, in prætexta, bulla puerili illius collo apposita. Interpres purpura pro prætexta posuit, haud scio quàm bene. Tuum lector sit iudicium. Prætextatos quoque pueros Plutarhus περιπορφύρους appellat, his uerbis in Publicola. ἐπὶ τούτοις ὁμήρους ἔδωκαν ἓξ εὐπατριδῶν περιπορφύρους δέκα, καὶ παρθένους ποσάυτας. Hoc loco interpres, præter consuetudinem, feliciter uertit, Horum gratia decem prætextati, toti

καθαρόμιμάλλον.

Pura pro candida.

Virilis toga.

Prætexta.

περιπόρφυρος.

Prætextati.

demq; uirgines ex patritio genere obsides dati. Quid autem sit prætexta, rem hactenus paucis cognitam, à nemine certe, quorum scripta legerim, satis explicatam, ego σὺν θεῷ μέντοι, aperiam. Prætexta dicebatur ea toga cuius oræ & circuitus purpura prætextus erãt. Hac de re περιπόρφυρος à Plutarcho dicta, quasi habens in circuitu purpuram intextam. Quemadmodum enim apud Pollucem, περίλευκον dicitur uestis ex purpura, uel alio colore in circuitu album intextum habens, sic περιπόρφυρος, meo quidem iudicio, dicitur uestis, ἧς ἄλλου χρώματος ἐν τῷ περιδρόμῳ ἔχουσα πρφύραν ἐνυφασμένην, & cuius limbus erat purpureus. Quod & uelle uidetur Macrobius in primo, capite sexto, cum ait: Cum toga cui purpura prætexitur. Et Liuius quartæ decadis, xl. in hæc uerba: Purpura uiri utimur prætextati, in magistratibus, in sacerdotijs, liberi nostri prætextis purpura togis utũtur. Magistratibus in colonijs, municipijsq; togæ prætextæ habendæ ius est. nec id, ut uiui solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cũ eo crementur mortui. fœminis duntaxat usum purpuræ interdicemus. Id enim Liuius lib. secundo tertiæ decadis: Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant. Huius loci me admonuit alter seculi nostri Liuius Paulus Aemilius, uir doctrinæ singularis. Athenæus in sexto. χιτῶνας περιπορφύρους appellat. ἀλλαχοῦ μὲν ἀμπεχόμενοι περιβόλαια καὶ χιτῶνας ἐνδεδυκότες περιπρφύρους, hoc est: Purpureis amicti circũiectis, & tunicas induti prætextas. Quibus uerbis palàm fit prætextam dici togam purpura in circuitu contextam. Neq; enim tunicæ illæ miro candore fulgerent, si totæ contextæ purpura fuissent.

Prætexta quid proprie.

περίλευκον.

Paulus Aemilius.

χιτῶνες περιπόρφυροι.

Iam et hoc uerbum prætexo, uideo usurpari à probatis autoribus pro eo quod uulgo dicimus bordare, & cooperire bordũ. Ausonius: Tu Auguste uenerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot milibus barbarorum, quibus Danubij ora prætexitur, id est cooperta & bordata. Aldini codices habent protexitur. Sed magis placet ut prætexitur legas Cicero in secundo de diuinatione; Atq; in Sibyllinis ex primo

Prætexo.

mo

mo uersu cuiusq; sententiæ primis literis illius sententiæ car=
men omne prætexitur. Ouidius quoq;, prætexta pro borda=
ta usus est isto uersu.

Quid referam Baias, prætextaq; littora uelis?

Plinius quoq;, prætexta tuguriorum posuit in xvi. Cortex è fago, tilia, abiete, picea in magno usu agrestium, uasa, corbes que, ac patentiora quædam, messibus conuehendis, uinde=mijsq; faciũt, atq; prætexta tuguriorum, hoc est, ut interpre=tor, borta tecti ipsorum tuguriorum. Georgius Merula Di= onis interpres in Traiano, prætextam purpuram appellat, in ipso statim principio. Ego omni asseueratione affirmare au=sim Georgium non intellexisse, quid esset in Dione περιπορ=φύρῳ, et uertisse purpurea. Et fortasse in Græco codice, quẽ uidere mihi non contigit, scriptum est τηβέννῳ περιπορφύρῳ, id est toga prætexta. Quod si uerum est falsus est ipse, at alij fermè ad unum omnes, quorum quidẽ scripta uulgata sunt. *Georgius Me=la.*

Prætextæ apud Hetruscos originem inuenere, ut inquit Pli nius. Quod & sentire uidetur Strabo in quinto, λέγεται δὲ καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος, καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων ἐκ ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι, hoc est: Aiũt aũt & triumphalia, & consularia, ac omnium ferè magistratuum, ex Tarquinijs huc delata. prætexta enim magistratuum erat, ut docuimus ex Liuio, qua utebantur censores, qui erant uelut in apice, & culmine dignitatis constituti. Athenæus dipnosophistôn. xiiij. καὶ παρὰ ῥωμαίοις οἱ τιμηταὶ, μεγίστη δ' ἀυτη ἀρχὴ, τὴν τηβεν=πόρφυρον ἐνδεδυκότες, καὶ ἐστεφανωμένοι πελέκῃ τὰ ἱερὰ καταβαλ λομ, hoc est: Apud Romanos & Censores, maximus uero is magistratus est, prætextam induti, coronaq; redimiti securi uictimam mactabant. *Prætextæ origo.* *Prætextæ usus Censores.*

Cæterum regnante Romulo, cum ca=pitolio à Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimi=carentur, matronarum intercursu inter duas acies, prælium sedatum est, quamobrẽ mulieribus honores à Romanis per= multi sunt delati, primum his transcribentes uia cedere, dein de præsente muliere obscœnum nil dicere, nec nudum aspi=ci: præterea ne causam dicerent apud eos iudices, qui de cæ= *Mulierum priuilegia apud Romanos.*

Bulla.

de sunt cõstituti, postremo, ut earum pueri bulla aurea ornarentur & prætexta. Plutarchus in Romulo, φορεῖν δέ, inquit, τὴν παῖδας ἀυτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν, ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον περιφόλυγι περιδεδεμένον τι, καὶ περιπόρφυρον. Interpres cũ quid περιπόρφυρον uellet, non satis intelligeret, omisit. Neq; uero

Macrobius.

nescius sum Macrobium aliter scriptum reliquisse. Sed apud me maior Plutarchi autoritas. Tu Macrobiũ uide cap. sexto libri primi.

Tullus Hostilius.

Tullus Hostilius rex Romanorum tertius, primus prætexta usus est. Plinius. Nam toga prætexta & latiore clauo Tullum Hostilium è regibus primum usum, Hetruscis deuictis, satis constat. Plutarchus in Romulo ait, ipsum quoq; Romulum prætexta usum, his uerbis: ἁλουργῆ μὲν ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ τήβεννον ἐφόρει περιπόρφυρον. hoc est: Induebatur enim tunica purpurea, gestabatq; togam prætextam. Quare pugnantia dicere uidentur Plinius, & Plutarchus, diuersos, ut opinor, autores sequuti. Etiamsi pro Plutarcho stare uideatur Liuius, in primo, his uerbis: Me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga prætexta sumpta est: numerum quoq; ipsum dictum placet. A prætexta amicitia prætextata dicta, iam inde à puero cœpta, apud Martialem. Prætextati quoq; cognomentum Papirio inditũ uulgatissimum ex Valerio, Gellio, & Macrobio. Prætextatus quoq; dicitur qui, qui nondum posita prætexta, togam uirilem sumpsit. Tullius in secunda in Antonium: Tenes ne memoria prætextatum te decoxisse? Prætextatum dicit eum qui pupillari ætate esset. Est & qui prætextam inter triumphalia ornamenta adscribat, cum tamen ex Tacito, & Plutarcho constet triumphalium ueste non contineri. Tacitus in xij. Et ludicro Circensium, quod adquirendis uulgi studijs ædebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium ueste transuecti sunt, spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, & perinde fortunã utriusq; præsumeret. Plutarchus in Mario. καὶ πρῶτόν μὲν, inquit εἴτε λαθὼν ἑαυτὸν εἴτε τῇ τύχῃ χρώμενος, ἀγροικότερον ἐν τῇ θριαμβικῇ κατασκευῇ

Amicitia prætextata.

Prætextatus Papirius.

Prætextatus q

An triumphantium sit prætexta.

τασκευῇ, ταχὺ δὲ τὴν βουλὴν ἀχθεσθεῖσαν αὐθόμως ἐξανέστη, καὶ μεταλαβὼν τὴν περιπρφύραν αὖθις ἦλθε, hoc est: Et adfuit, siue sui oblitus, siue fortuna rustice elatus triumphalium ueste, mox uero senatũ id ægreferre sentiens, abijt, assumptaq; statim prætexta, reuersus est. Lege interpretem, & quàm nihil hac in re uiderit, intelliges. Tacitus xvij. Ipse Vitellius à monte Miluio insigni equo paludatus, accinctusq;, senatum & populum ante se agens, quo minus ut captam urbẽ ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta, & composito agmine præcessit. Quibus uerbis planũ fit, prætextam, saltem temporibus illis, triumphalium non fuisse. Cicero in oratione pro Cluẽtio togam prætextam adnumerat inter ornamenta senatoria, his uerbis: Senatorem hoc quæri non posse propterea, quod ea conditione proposita, petere cœpisset, quodq; permulta essent ornamẽta, quibus eam mitigare molestiã posset, locus, autoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ. quod tamen de senatoribus intelligit, qui magistratum adepti sunt. Trabea uero erat triumphantium & toga picta. Plinius: Pictas uestes, iã apud Homerũ fuisse, unde triumphales natæ. Verba autẽ Homeri, si quis forte requirat, hæc sunt: τὴν δ' ἕυρ' ἐν μεγάρῳ, ἣ δὲ μέλαν ἰσὸν ὕφαινεν, Δίπλακα, μαρμάρεον, πόλεας δ' ἐνέπασεν ἀέθλους, Τρώων τ' ἰπποδάμων, ἠδ' ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων. Pictas uero uestes, ni fallor, ἀνθινὰς appellãt, quarũ multa mentio apud Athenæum, Strabonem, & alios. Ausonius: Trabea ut in pace consulum, sic in uictoria ducis triumphantis. fortasse inde trabeæ cõsulares dictæ ab Ammiano, quæ tamẽ palmata quoq; dicebatur, credo à uictoria. Mar.

Palmataq; ducem, sed cito redde togæ.

Ausonius: Palmatam, inquis, tibi misi, in qua D. Cõstantius parens noster intextus est. Quibus uerbis & superioribus, Ausonius eãdem, opinor, consularem uestem, modo trabeã, modopalmatam, modo pictã appellat. Plinius tamen uidetur pictam & trabeam, ut diuersa posuisse in octauo. Trabeã

Toga prætexta.

Ornamenta senatoria.

Trabea.

ἀνθιναὶ uestes.

Trabeæ consulares.

Palmata toga.

ἀλυσγίς. Græci ἀλυσγίδα uocant. Plutarchus in Romulo, ἀυτὸς δὲ πρὸς πάθκτο μετὰ τῶν ἀρίσων ἀλυσγίδι κεκοσμένος. hoc est: Ipse uero præsidebat cũ optimatibus trabea ornatus. Eam fuisse mentem Plutarchi, asseuerare ausim, cum Romulum trabeatum fuisse cõstet ex Plinio, Vergilio, & Ouidio. Interpres aliter uertit, id quàm recte, doctorum sit iudicium. Hoc loco non omittendum duco, quod de toga picta scripsit Festus Pompeius: Picta quæ nũc toga dicit, antea purpurea uocitata est, eratq; sine pictura. Eius rei argumentum est, pictura in æde Vertumni, & Consi. Quarum in altera M. Fuluius Flaccus in altera T. Papirius Cursor triumphãtes ita picti sunt. Quæ uero essent triumphantium ornamẽta, quorum frequẽs mentio apud Tacitum & Plutarchum, Liuius in x. secundi belli Punici docet, his uerbis: Ibi Masiniſſam primum regem appellatum, eximijsq; ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit uerbis honorẽ, neq; magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neq; triumphantibus ampliorem eo ornatu esse. Quibus uerbis, ni fallor, annumerantur ea, quibus ornabantur triumphantes. His ipsis etiam uerbis palàm fit, quæ sint illa antiqua patrum munera, quorum meminit Tacitus in quarto: Missusq; est è senatoribus qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemq; & socium, atq; amicum appellaret. Togam pictam alibi Liuius purpureã appellat, in primo belli Macedonici: Dona ampla data, quæ ferrent regi, uasa aurea, argentea q; , togaq; purpurea, & toga prætexta. Quare fallũtur, qui togam prætextam pro purpurea sumpsere. Quin & his Liuij uerbis adducor, ut credam, uestẽ illam, quam sacri Euangelij scriptores purpuream, & purpuram dixerunt, fuisse togam purpuream, quæ & picta diceba tur, in seruatoris nostri ludibrium scilicet, tanq; à S.P.Q.R. missam illi, qui se regem Iudæorum diceret, ut mentiebãtur Iudæi. Trabearũ tria sunt genera, ut scribit Suetonius. Vnũ quod dijs sacratur, & est totum purpureum; alterũ quod est regum,

Toga picta.

Triumphantiũ ornamẽta.

Antiqua munera.

Toga purpurea.

Vestis Christi.

Trabearum genera.

regum, quod etiam purpureum est, sed albo infectum. Tertium est augurale, purpura & cocco mixtis infectũ. In funebri pompa utebantur & equites trabea, si Tacito credimus, qui in tertio de funere Germanici, sic ait: Igitur tribunorum centurionumq; humeris cineres portabantur. præcedebant incompta signa, uersi fasces, atq; ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, uestem, odores aliaq; funerum solennia cremabant. Et sanè fuit tempus quum trabeæ essent equitum, ut coniecto ex Martiale, in quinto in Didymum.

Trabeæ usus in funere.

Trabeæ equitum.

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasq;, & idus, fibulasq;, censusq;,
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat, an tibi scamnis
Videbo Didyme, non licet maritorum.

CAPVT XI.

PAludamẽtum erat imperatorum.) Omnia quoq; militaria ornamenta dici in libris auguralibus ait Festus. Liuius paludamẽtum pro ueste militari, etiam eius qui non esset imperator posuit, in primo: Cognitoq; super humero fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, soluit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Paludamẽtum enim illud erat unius Curiatiorum, quorum nemo, ut arbitror, imperator in Albanis fuit. Vnde paludati. Cælius ad Ciceronem: Consules autem, quia uerentur ne illud senatus consultum fiat, ut paludati exeant. Iuuenalis in sexta.

Paludamentũ.

Paludati.

Cumq; paludatis ducibus, præsente marito
Ipsa loqui recta facie, strictisq; mamillis.

Tullius ad Cassiũ: Pansa noster paludatus ad tertiũ Calend. Ianuarij profectus est. Paludamento quoq; utebantur & augustæ, ut diximus, in aureo paludamento Agrippinæ. Quod si in uestimentorum ratione, quæ subinde mutat, nouis rebus antiqua uocabulorum nomina fas sit, dicerem id uestimenti genus cui intexti lilirorum flores, quodq; induti

Paludamentũ Galliæ.

reges Gallorũ depingi ſolent, id Latine paludamentum dici poſſe. Græci aliâs circumlocutione enunciant, quemadmodum & Latini. Plutarchus in Cæſare, ubi de Pompeio, qui in prælio Pharſalico, ut equitatum cui maxime confidebat perterritũ, pulſumq; uidit, ſe in prætorium recepit, equoq; nactus, detracto paludamento aufugit. ἀπεδύσατο γάρ, inquit, τὴν ἐναγώνιον, καὶ στρατηγικὴν ἐσθῆτα, φεύγων δὲ πέπρυσαν μετὰ λαβὼν ὑπεξῆλθεν. Cæſar belli ciuilis tertio: Pompeius iam cũ circa uallum noſtri uerſarẽtur, equum, detractis inſignibus, imperatoriis, decumana porta ſe ex caſtris eiecit, protinusq; equo citato Lariſſam contendit. Plutarchus in Lucullo ἐφεστρίδα, ut opinor, pro paludamento poſuit, ubi de ornamentis Luculli, iamiã prælio̅ inituri aduerſus Tigranem. θώρακα γάρ, ait, ἔχων σιδηροῦν φολιδωτὸν ἀποσίλβοντα, καὶ στρωτὴν ἐφεστρίδα. hoc eſt: Thoracem ferreum habens ſcammoſum, et ſplendidum, ac fimbriatum paludamentum. Interpres uertit Punicam epheſtrida, credo quod in ſuo ipſius exẽplari fuerit καρκωτὴν, quod tamen haud prorſus diſplicet. Idem Plutarchus in Craſſo, φοινικίδα pro paludamento purpureo dixit: λέγεται δὲ, inquiẽs, ἡμέρας ἐκείνης, τὸν στράτωνα, οὐχ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς ὑπατεύουσι, ἐν φοινικίδι ἐλθεῖν, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι. hoc eſt: Fertur eo die Craſſum, non purpureo, ut Romanorum imperatorum mos erat, paludamento, ad milites proceſſiſſe, ſed pallio nigro. Paludamentum uero fuiſſe imperatorum planum fit ex Tranquillo in Cæſare. Alexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcaphã, pluribus eodẽ præcipitantibus, cum deſiliſſet in mare, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli quos tenebat madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Vtebantur & Græci equites eo genere ueſtis, quã ἐφαπτίδα appellat Athenæus in quinto, his uerbis. πάντες οἱ προειρημένοι εἶχον περφυρᾶς ἐφαπτίδας, πολλοὶ δὲ καὶ διαχρύσους καὶ ζωωτάς. hoc eſt, belluatas ephaptidas. Macedones pro paludamento chlamyde utebantur. Plutarchus in Alexãdro, qui cum uidiſſet Darium à ſuis interfectum,

ἐφεστρίς.

φοινικὶς.

Paludamentũ imperatorum geſtamen.

ἐφαπτὶς.

Macedones.

terfectu, τὼ ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι, ᾗ περιέσκεπε, hoc eſt: Sua ipſius ſoluta chlamyde mortuo iniecit ac circumtexit. Simul & Pyrrhus cum quodam in prælio uideret ſe unum ab omnibus Romanis appeti, τὼ χλαμύδα καὶ τὰ ὅπλα παραδοὺς ἑνὶ τῶν ἑταίρων μεγακλεῖ, τῆς δ' ἐκείνου ἔσκυτινὰ καταικρύψας ἑαυτὸν ἐπῆγε τοῖς ῥωμαίοις. hoc eſt: Chlamyde & armis uni amicorum Megacli traditis, illiuſq; armis ſeipſum tanquam occultans, in Romanos impetum fecit. Interpres uel hæc non intellexit, uel quod magis puto, corruptum Plutarchum habuit. Chlamys inter puerilia hic recenſet ab Vlpiano, qua Numa primus Romanorũ regũ uſus eſt, cũ legationẽ Iſaurorũ excepiſſet, rationẽq; eorũ habitus percepiſſet. autor Suidas. Qua coccina uſum imperatorẽ Alexandrũ teſtat Lãpridius. Chlamydis effigies & terræ habitabilis eadem fuiſſe tradit. Strabo in ſecũdo. ἔστι δὲ καὶ χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης. Erat aũt Græcorũ, et maxime Macedonũ. Plutarchus in Eumene. ἦν δὲ τῷ μὲν Εὐμενεῖ, καὶ καυσίας ἁλουργεῖς καὶ χλαμύδας διανέμειν, ἃς ἦν δωρεὰ βασιλικωτάτη παρὰ μακεδόσιν. hoc eſt: Licebat eñ Eumeni cauſias purpureas, et chlamydes diargiri, qđ inter dona regia præcipuũ habebat à Macedonibus. Cauſia ut illud interim ſcias, erat capitis tegmẽ, quã Budæus appoſitiſſime uſurpauit, p galero Cardinaliũ coccino Licet enim uni Romano põtifici, ut quondam Eumeni, cauſias ἁλουργεῖς id eſt purpureas, ut chlamydes coccinas, cæteraq; Cardinalium ornamẽta, arbitratu ſuo, certe hoc iure utimur dilargiri, μὴ γὰρ γένοιτο nũdinari. Quibus Plutarchi uerbis palàm fit chlamydes fuiſſe Macedonum. Ille igitur Magnus Alexander incredibili gaudio elatus eſt, cum eius architecti ſitum Alexandriæ in formam chlamydis deſcripſere, quem metatus eſt Dinocrates ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato lacunoſam, dextra læuaq; anguloſo procurſu. autor Plinius & Strabo in ſeptimo. Iam uero & Demetrius ille Poliorcetes chlamydem intexẽdã locauit, in qua, ut ait Plutarchus, erat εἴκασματῶ κόσμῳ τῆς κατ' οὐρανὸν φαινομένων, quæ tamẽ mutatione tẽporũ inchoata relicta eſt. Athe

Numa.

Chlamydis effigies.

Cauſia.

Romani pontificis autoritas.

Alexandriæ ſitus.

Dinocrates.

Demetrius Poliorcetes.

næus in xij. asseuerat perfectas fuisse Demetrij chlamydes, colore nigricãte sublucentes, in quibus erat polus depictus, aureas stellas habens, & duodecim signa. αἱ δὲ χλαμύδες, inquit, αὐτὸν ἦσαν ὄρφνινον ἔχουσαι τὸ φέγγος τῶν ἀστρων. τὸ δὲ πᾶν ὁ κόσμος ἐνύφαινετο χρυσοῦς ἀστέρας ἔχων καὶ τὰ δώδεκα ζώδια. Iam nec illud supra fidem esse uidetur, quod ait Appianus in eo libro qui Mithridaticus inscribitur. Interpretis uerba subijciam, quando Appiani Græci nulla mihi copia. Ea sunt ubi de triumpho Pompeij ex Asia agit. Pompeius ipse curru lapillis, auroq; splendente ferebatur, chlamydem, ut aiunt, indutus Alexandri, qui Macedonibus præfuit, si tamen id credere dignum est. Putãt quippe illam in his quæ Mithridates ex Cleopatræ rebus in Co reperit, inuentam fuisse. Nec id absurdũ uideri debet, quandoquidem Pompeius quandam similitudinẽ oris habuisse uidetur ad Alexãdri imagines. Plutarchus in Pompeio. ἦν δ' ἔτις καὶ ἀναστολὴ τοῦ κόσμου καὶ τρέμα, καὶ τῶν περὶ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης τὸ προσώπου ποιοῦσα μᾶλλον λεγομένῳ καὶ φαινομένῳ ὁμοιότητα πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας. ἦ δὲ καὶ τοὔνομα πολλῶν ἐν ἀρχῇ συνεπιφερόντων οὐκ ἔφυγεν ὁ Πομπήιος, ὥστε καὶ χλευάζοντας αὐτὸν ἔνιους ἤδη καλεῖν Ἀλέξανδρον. διὸ καὶ λέγουσιν Φίλιππος ἀνὴρ ὑπαλικὸς συνηγοροῦν αὐτῷ, μηδὲν ἔφη ποιεῖν θαυμαστὸν εἰ Φίλιππος ὢν φιλαλέξανδρός ἐστι. Nec quisquam mirabitur, chlamydem illam tanto tempore duraſſe ab Alexandro scilicet ad Pompei ætatem, modo qui legerit Plinium in octauo, qui ait, Seruij Tulli prætextas duraſſe annis quingentis sexaginta, nullasq; teredonũ iniurias sensisse. Ab eo em̃ ipso tempore, quo Alexander natus est, ad Ciceronis consulatum, quo consule Pompeius, aut paulo post, triumphauit, uix anni sunt trecenti uiginti, ut ex Eutropio colligere est. Athenienses quoq; chlamyde usi sunt in prælijs, paludamenti uice. Plutarchus in Crasso de Nicia loquens, qui si bellandum esset aduersus Lacedæmonios, ἐπεδύόμενος τὴν χλαμύδα καὶ τῇ κλέωνος ἀπειρίᾳ, καὶ θρασύτητι, νᾶυς καὶ ἄνδρας, καὶ ὅπλα, καὶ στρατηγίαν ἐμπειρίας ἄκρας δεομένῳ παραδιδούς.

Chlamys Alexandri.

Pompeij & Alexandri similitudo.

S. Tulli prætextæ.

Athenienses.

CAPVT

CAPVT XII.

AIt Vlpianus: Tunicæ.]Aulus Gellius lib. ſeptimo noctium Atticarum ait, antiquitus Romanos primo quidē ſine tunicis toga ſola amictos Quare nec uidetur reprehendendus Cato, qui de more maiorum ſolebat ſtatim à prandio ad forum deſcendere, ac ibi cum amicis deambulare, nullis nec calceis, nec tunica. μετ' ἄριστον δὲ, inquit Plutarchus in Catone πάλιν, ὥσπερ εἴθιστο, καταβὰς εἰς ἀγορὰν ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων περιπατῆσαι μετὰ τῶν φωκήθων. Cuius moris nō meminiſſe uidetur Plutarchus, indicās eū nō ſeruaſſe decorū prætoriæ dignitatis, ꝙ ſine calceis & tunica ius diceret, cū maiores nō uſos tunica ſatis cōſtet. Neꝙ em̄ fruſtra Ennius Carthaginēſiū iuuētutē tunicatā appellat. Poſtea uero, inquit Gellius, ſubſtrictas & breues tunicas citra humerū deſinētes habebāt, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας, qua uſum Catonē maiorem, cū brumæ tēpore ruſticaretur, autor Plutarchus. ἐπανελθὼν δέ, inquit, εἰς τὸ χωρίον, ἂν μὲν ἢ χειμὼν ἐξωμίδα λαβὼν, θέρους δὲ γυμνὸς ἐργασάμενος μετὰ τῶν οἰκετῶν. Quando uero in Catonis mentionem incidimus, illud in illo miratur Plutarchus, quod iam ſenex poſt cōſulatum & triumphum adeptū, nulla unquam ueſte uſus ſit, quæ centum denariorum precium excederet. ἑκατὸν μὲν γάρ, οὐδέποτε φησὶ, φορέσαι πολυτελεστέραν ἑκατὸν δραχμῶν. hoc eſt, denariorum, quis ad quadrantem reſpondēt Iulij, quibus utuntur hodie paſſim in Italia, qui centum denarij nummo noſtrate uiginti francicis æſtimari poſſunt. Iam & in opſonium ipſe Cato diem triginta aſſes inſumebat, hoc eſt triginta bayochos, noſtro uero more, triginta ſolidos. Maſſilienſium quoꝙ frugalitas celebrari ſolet, quod apud eos mulierum dos maxima centum aureos non excederet, ueſtimēta ad quinꝙ aureos. quæ tamen ſumma Catonis precio centum ſolidis noſtris maior eſt. ἡ γὰρ μεγίστη προῖξ αὐτοῖς ἐστὶν ἑκατὸν χρυσοῖ, καὶ ἑκατὸν εἰς πέντε, καὶ πέντε εἰς χρυσοῦν κόσμον. πλέον δὲ οὐκ ἔξεστι. autor Strabo. Straboni tamen refragatur id quod græci prouerbij uice uſurpant: εἰς μασσαλίαν

Tunicæ.

Catonismos.

Tunicata iuuētus.

ἐξωμίδες.

Catonis frugalitas.

δραχμαί.

Maſſilienſium frugalitas.

Nauigare in Maßiliam.

πλέυσειας, ἡλικίης μασσαλίαν ἥκεις. Aiunt enim ipſos Maſſilienſes nimis delicatò ac molli, muliebríq; cultu uſos, inſuper cà pillum unguentatum muliebrem in modum religare. Vnde natum prouerbium. Verum illi prouerbio non aſſentior, cũ apud me maior ſit M. Tullij autoritas, qui pro Flacco ait, Maſſiliæ diſciplinam ac grauitatem non ſolum Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam iure dicã, quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaq; diuiſa, Gallorum gentibus, barbarorum fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur, ut omnes eius inſtituta laudare facilius poſſint quàm æmulari. Sed qd opus illis ethnicorum teſtimonio, cum Lazarus amicus ab Ieſu ſeruatore Chriſto uocatus, hanc unam potiſſimum ſedem delegerit, in qua ueriſſima dei dogmata mortales edoceret, mirificaq; ad reuocandã errabundam plebeculam, prodigia oſtentaret. Sed ad tunicas reuertamur. Manicatis tunicis indui non ſine probro ſolebant, ut autor eſt Gellius, qui eas græco uocabulo χειριδώτας appellat. Politianus in Herodiano, manulcatas uertere, Plautũ imitatus, maluit, quàm cum Cicerone dicere manicatas. Qui cum in gregem Catilinæ inuehitur, ſic ait: Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos uidetis, manicatis & talaribus, ac ſtrictis tunicis amictos, non togis. Vergilius quoque uidetur non ſine probro dixiſſe:

D. Lazarus.

Tunicæ χειριδώται.

Politianus.

Manicatus.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Mulieres tunicis utebantur longe, lateq; diffuſis ad ulnas cruraq; aduerſus oculos protegenda, quorum ima erat carni proxima, unde iocus Martialis in Leſbiam.

Ima tunica.

De cathedra quoties ſurgis, iam ſæpe notaui,
Pædicant miſeram, Leſbia te tunicæ.

Obſeruaui & apud Ouidiũ, tunicã in ſingulari accipi pro tunica illa quæ ima erat, qua hodie linea utimur, ut olim Athenienſes talari & linea utebantur, autore Polluce. Ouidius in amoribus,

Tunica quæ uulgo camiſia.

Sic etiam tunica tangitur illa ſua. & in tertio.

Illic

Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori.

Et alibi.

Pugnabant, tunica sed tamen illa tegi.

Tunicam accipe pro ea quæ carni proximior, quam ut mihi uidetur, tunicam lineam, uel imã dicere possumus. Sunt qui interulam uocitent. Athenæus χιτώνιον ἐχέσαρκον appellat in decimotertio, ubi de Phryne scorto nobili. ἐχέσαρκον γὰρ χιτώνιον ἀμπέχετο, hoc est: Tunicula carni proxima amiciebatur, quam camisiam dicimus. Vtebantur & tunica, quæ media dici potest, cuiusmodi ferè est tunica rubea, qua brumali tempore utimur. Erat & alia tunica quæ his superindu ebatur. Nostri rustici uocabuli græci uestigia retinentes, ho cheton appellant, quasi dicas ὀχιτών, alij saye. Neqꝫ uero cui piam mirum uideri debet, siquidem olim Druidæ Gallorum sacerdotes, publicis priuatisqꝫ rationibus Græcis literis utebantur, ut legimus in sexto commentariorum Cæsaris. Quin & Ephorus apud Strabonẽ Gallos φιλέλληνας appellat. μονοχίτωμ græcis is est, quem tunicatũ dicimus, id est sola tunica amictum. Plutarchus in Antonio de Cleopatra loquẽs, quæ ualetudine affecta, in lectulo iacens, ut Augustum aduentantem resciuit, tunicata exilijt obuiam, seqꝫ ad pedes eius strauit, & abiecit. ἥδε, inquit, ἔτυχε μὲν οὐσιβάδι κατακειμένη κατωφενῶς, εἰσιόντι δ' αὐτῷ μονοχίτωμ ἀναπηδήσασα προσπίπτει. Idem in Sylla. οἱ τὸ φιμβρίου στρατιῶται μονοχίτωνες ἥσπάτοντο τοὺς ἐκείνου μονοχίτωνες. hoc est tunicati, & en ocheton, ut uulgo loquimur. Si interpres Plutarchi aliter uertit, uel fallor, uel falsus est. Athenæus quoqꝫ in primo. καὶ ἀνδριάντας αὐτῆς ὧν Ἀλεξανδρείᾳ ἐσάναι φησὶ, κατὰ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς πόλεως μονοχίτωνας, ξυμμεμιγμένους ὧν ταῖς χερσίν. hoc est: Statuas ipsius in Alexandria collocasse ait, in multis ciuitatis partibus tunicatas, manibus rhytum tenentes. Id est poculi genus. A tunica fit tunicatus. Martialis.

Interula.

Camisia.
Tunica media

Druidæ.

Galli φιλέλληνες.
μονοχίτωμ.

Rhytum.
Tunicatus.

Formosam faciem nigro medicamine uelas,
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede deam uerbis tibi dicere nostris,

Aut aperi faciem, uel tunicata laua. Ouidius.
Aſtiterit tunicata, moues incendia, clama.
Sed timida caueat frigora uoce roga.

Quies tunicata Tunicata, id eſt in camiſia. Proinde facetiſſimus poëta quiẽ tunicatam appellat, id eſt liberam ab opera togata.

Quos Fauſtine dies, qualem tibi Roma Rauennam
Abſtulit? ô ſoles, ô tunicata quies.

Solebant enim, ut diximus, Romani togati deducere & reducere magiſtratus, & eos, qui dignitate uel ætate, uel opibus præcellerẽt, in domum, in forum, in tẽpla, uel alió. Quæ

Opera togata. opera togata à Martiale uocitatur.

Exigis à nobis operam ſine fine togatam.
Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.

Et in nono.

Denarijs tribus inuitas, & mane togatum
Obſeruare iubes atria Baſſe tua.
Deinde hærere tuo lateri, præcedere cellam
Ad uetulas tecum plus minus ire decem.

Toga rara. Quare in uita beatiore togam raram optat. Domi enim Romani commorantes, togam reponebant, & uiliori ueſte utebantur, quam non inepte fortaſſe domeſticam dixeris. Tul-

Tunica domeſtica. lius in ſecundo de finibus: Aut etiam ut ueſtitum, ſic ſententi am habeam, aliam domeſticam, aliam foreſem. Herodianus in Maximo. ἁρπάζουσι τοὺς πρεσβύτας. περιῤῥήξαντες δὲ ἃς εἶχον περὶ τοῖς σώμασιν ἐσθῆτας λιτὰς, ἅτε οἴκοι διατρίβοντες. hoc eſt Corripiunt ſenes, laceratis quibus amiciebantur, ueſtibus, uilioribus ſanè, utpote, qui domi ſeſe continerent. Et itẽ Plutarchus in Sylla ait. ἐσθῆτα δὲ ἄλλην μὲν οἰκουρῶν, ἄλλην δ' εἰς ἀγορὰν προερχόμενος. hoc eſt: Veſtem aliam, cum domi maneret, aliam cum ad forum deſcenderet, uel procedẽs. Tunicam la-

Tunica lati claui. ti claui inſigne erat ſenatorũ, ſenatumq; ab equite diſtinguebat. Plinius lib. xxxiij. Annuli diſtinxere alterum ordinem à plebe, ut ſemel cœperant eſſe celebres, ſicut tunica ab annulis ſenatum tantum. Tranquillus in Auguſto: Sumenti uirilẽ togam, tunica lati claui reſuta ex utraq; parte ad pedes decídit

dit. Fueruut qui interpretarẽtur, non aliud ſignificare, quàm quod is ordo cuius inſigne id eſſet, quandoq; ei ſubiiceretur id eſt ordo ſenatorius ſcilicet. Tunica lati claui, latus clauus etiamnum appellatur. Martialis in Gelliam. *Latus clauus.*

Dum te poſſe negas, ni lato Gellia clauo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtigero.

Tacitus in Dialogo. Equidem, ut de me ipſe fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clauus oblatus eſt.

Quintilianus xi. Cui lati claui ius non erit, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum poſterioribus ad medios poplites uſque perueniant. Nam infra mulierum eſt, ſupra centurionum. Lati claui ius, eſt dignitas ordinis ſenatorij. Dicitur & clauus. Tranquillus in Auguſto: Togis neq; reſtrictis neq; fuſis uſus eſt: Clauo nec lato, nec anguſto. Tunica lati claui, ſiue latus clauus, antea quidẽ dicebat, tunica palmata à latitudine clauorum, quæ nunc à genere picturæ appellatur. Verba ſunt Sexti Pompei in uocabulo, picta, paucis additis. Cum uero ait, quæ nunc à genere picturæ appellatur, accipe ab ipſis clauis purpureis, qui tunicis inſeruntur, appellari tunicam lati claui. Quibus clauis purpureis mappæ quoque ad limbum, ut opinor uariari ſolebant. Et hoc eſt quod ait Martialis. *Ius lati claui.* *Clauus.* *Tunica palmata.* *Claui in mappis.*

Et lato uariata mappa clauo.

Quare cum apud Liuium identidem legas, tunicam palmatam, accipe pro tunica lati claui, quam Græci χιτῶνα πλατύσημον appellant. Strabo in tertio. οὗτοι δὲ ἤδη ἐνδύσασθαι λέγονται πρῶτοι τοὺς ἀνθρώπους χιτῶνας πλατυσήμους. Hactenus quæ de lato clauo comminiſci potuit, hæc ſunt, ita tamẽ, ut ingenue fatear, mihi planè non liquere, ſicut nec illis maiorum gentiũ ſcriptoribus, qui ante me natum, hac in re hallucinati ſunt. *χιτῶν πλατύσημος.*

Tunica phœnicea ſignum erat prælij futuri, quam aliâs coccinam appellat Plutarchus, ut diximus in cocco. Plutarchus in Bruto. πρόκειτο μὲν τῷ βρούτῳ χάραξ, ἤδη τῷ καισὶ σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτῶν. Et in Pompeio. κατὰ τάχος πρόδηλα ἐκέλευσε προθεῖναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα, τοῦτο γὰρ μάχης *Tunica phœnicea.*

ξωμιδίοις ὅδι σύμβολον. hoc est: Extemplo ante prætorium iussit proponi tunicam phœniceã. Hoc enim Romanis pugnæ signum. Alibi coccinã appellat Plutarchus, credo, quia idẽ ferè color. Quod ait Iurecõsultus, tunicæ, hoc ideo, quia pluribus tunicis utebãtur. Et Augustus quaternis interdum tunicis, autore Tranquillo, muniebatur. Quare apud Ouidiũ fastorum secundo.

Tunica coccina

Exuerat tunicas uteri, manifesta timore
Proditur indicio ponderis ipsa sui.

Et in eodem.

Dat tenues tunicas Getulo murice tinctos
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.

Tunica latoye

Tunica quoq; apud Celsum pro eo ponitur, quam taygã uulgo dicimus, his uerbis: Vel ex ictu aliquo rumpitur tunica, quæ deducere ab inferioribus partibus intestina debuit. Sũt & tunicæ apud eundem, testiculorum inuolucra. Sic etiam Persius non ineleganter, cepe tunicatum appellat.

CAPVT XIII.

Pallium.

PAllíola.]Pallium erat Græcorum. Tranquillus in Augusto: Sed cæteros continuos dies interuaria munuscula, togas insuper & pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur. Pallium quoq; erat

Pallium philosophorum.

philosophorum. Gellius lib. nono. Video inquit Herodes barbam & pallium, philosophum nondum uideo. Pallia in-

Pallia cõmunia

ter communia uestimenta annumerantur Vlpiano hic, quæ promiscua appellat Tacitus, in tertio. Promiscuas uiris & fœminis uestes. Pallijs etiamnum in lecto utebantur. Ouidius in amoribus.

Nec in lecto pallia nostra sedent.

Martialis.

Gutta pallia nec fefellit ulla.

Iuuenalis in sexta.

Tunc corpore sana
Aduocat Archigenen, oneroſaq; pallia iactat.

Pallia tunicæ imponebantur, ex prouerbio. Tunica pallio proximior. Quod si uerũ est, tum Carũ mulierum alæ non erant consutæ, erantq; Romanæ φαινομηρίδες, quemadmodum & Spartanæ. Quod & Ouidianis uersibus probari potest, cum ait

Tunica pallio propior.

Pallia si nimium terræ demissa iacebunt
Collige, & in munda sedulus effer humo.
Protinus officij precium patiente puella
Contingent oculis crura uidenda tuis.

Neq; enim efferendo pallio aperirent crura, si alæ utrinq; cõsutæ essent, etiamsi Plutarchus dicat: ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ περὶ τὰς παρθένους φυλακὴ κατέσκληται τῷ νόμῳ πρὸς τὸ θῆλυ καὶ κόσμιον. ἡ δὲ τοῦ λυκόργου παντάπασιν ἀναπεπταμένη καὶ θῆλυς οὖσα τοῖς ποιηταῖς λόγον παρέχηκε. φαινομηρίδας τε γοῦν αὐτὰς ἀποκαλοῦσι, ὡς Ἴβυκος, καὶ ἀνδρομανεῖς ἰσοροῦσιν, ὡς Εὐριπίδης. Et paulo post. τὰ γοῦν ὄντα τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν ἀνεζωσμέναι κάτωθεν, ἀλλ' ἀνεπτύσσοντο, καὶ σωεγύμνουν ὅλον ἐντῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. hoc est: Itemq; custodia quæ ad uirgines pertinet, à Numa cohibita magis est ad muliebrem cultum & ornatum. Custodia uero Lycurgi planè aperta nimis. Siquidem muliebris cum sit poëtis ioci ansam præbuit. φαινομηρίδας enim ipsas appellant, id est, quarum aperta sunt femora, ut Ibycus. Et paulò post: Nimirum pinnæ uirginalis tunicæ non erant consutæ, sed explicabantur aperiebantq; totum incedẽdo femur. Hactenus Plutarchus. Quibus uerbis apparet Spartanas mulieres solitas incedere sola tunica amictas, cuius alæ non erant consutæ. Quod & Romanis obseruatũ arbitror ex Ouidio, ita tamen, ut tunicis pallia uel stolæ superimponerent. Neq; enim, ut mihi quidem uidetur, aliter capi potest sensus Ouidianus, nisi si quis dixerit, quod efferendo pallio simul & efferebantur tunicæ, quod magis amentis fuisset quàm amantis. Cæterũ tunica illa, cuius pinnæ dissolutæ aliquatenus erant, & qua utebantur Spartæ χιτὼν appellatur à Iulio Polluce, in onomastico ad Commodum. A pallio fit palliolum, quod laneum erat. Martialis.

φαινομηρίδας.

Spartanarũ cultus.

χιτὼν

Succida palliolo uellera quinqꝫ petit.

Mulierum etiam erat. Iuuenalis. Aut cum
Vxorem comœdus agit, uel Dorida nullo
Cultam palliolo, mulier nempe ipsa uidetur.

Palliolatus. Inde palliolatus. Tranquillus in Claudio: Ob hanc eandẽ ualetudinem & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris ædebat palliolatus, nouo more præsedit.

Martialis in nono:

Hanc uolo, quæ facilis, quæ palliolata uagatur.

A pallio fit palliolatus, id est, pallio munitus. Gellius lib. nono: Adijt nobis præsentibus palliolatus quispiam, & crinitus. Erant etiamnum pallia cœnatoria, quorum meminit Martialis.

Pallia cœnatoria.

Pugnorum reus, ebriæqꝫ noctis
Cœnatoria mittat aduocato. Et in xi.
Ad cœnam uenies, sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Et in apophoretis, ubi in lemmate est, cœnatoria, subaudiẽdum pallia. ait enim:

Nec fora sunt nobis, nec sunt uadimonia nota.
Hic opus est pictis accubuisse thoris.

Palla Gallica. Interpres fœde lapsus est. lege ac ridebis. Porrò autem palla Gallica ad formã nostri palletoci manicati uidetur accessisse, si Martiali credimus:

Dimidiasqꝫ nates Gallica palla tegit.

Quid uero sit palla Gallica docet Strabo in quinto. ἀντὶ δὲ, inquit, χιτώνων χιτοῦς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι ἀιδοίων καὶ γλουτῶν. hoc est: Tunicarum uice pallas manicatas gestant, ad uerenda usqꝫ nates qꝫ medias pertingentes. Quæ uerba Martialis uersum uidẽtur interpretari. Palla ab Horatio honesta dicta mulierum erat, ut quidam opinantur. Martialis.

Palla honesta.

Fascia te, tunicæqꝫ tegunt, obscuraqꝫ palla.

Vtebantur & citharœdi. Ouidius in xi.

Ille caput flauum lauro Parnaside uinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla.

Et tra-

Et tragœdiæ. Idem Ouidius amorum tertio. *Palla tragœdi utebantur.*

Fronte comæ torua, palla iacebat humo.

Quare falluntur ij qui mulierum tantum fuisse putant, in quibus & noster Sipontinus, uir alioqui de lingua Latina non pessime meritus. Marcus Varro de lingua Latina ait, pallã ideo dici quod foris palàm sit. Eratq; palla longa ad terram usq; promissa, ut apparet in Ouidiano uersu. Quam ob id appellat Vergilius, *Sipontinus lapsus.* *Palla unde dicta.*

Pro longæ tegmine pallæ.

Endromis dicta uidetur, quod eo genere uestis, ἐν δρόμῳ, id est, in cursu & palæstra uterentur, quam pinguem, hirsutamq;, & uilli lõgioris fuisse cõstat ex Martialis lib. quarto. *Endromis.*

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet.
Sordida, sed gelido non aspernanda decembri,
Dona, peregrinam mittimus Endromidem.
Seu lentum ceroma teris, tepidum'ue trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Siue leuem cursu uincere quæris Atam.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Néue grauis subita te premat iris aqua.
Ridebis uentos hoc munere tectus, & imbres,
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Iuuenalis taxat mulieres Romanas, quæ endromide purpurea uterentur, in sexta.

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma

Quis nescit? Quod uero ait Martialis, sindone, ut obiter id intelligas, σινδὼν, ut ait Pollux, est amictus ex lino Aegyptiaco, quod nunc dicrossum appellatur, dicta, ut opinor, quia primum in Sidone urbe huiusce modi amictus fieri cœpit, ob id Tyria à Martiali dicta. Erant em̃ uicinæ urbes Tyrus & Sidon. Hoc eo adieci ut intelligeres quæ scripta sunt in Matthæo: Et cũ accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud sindone munda. De sindone cõuenit Matthæus, Marcus & *Sindon quid, & unde dicta.*

lucas, uerum Ioannes ait: καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων. hoc est: Et obuinxerunt illud othoniis cum aromatibus. Quod si Pollucí credimus, ὀθόνη apud Homerum magis ἠ ἐρίου, id est, ex lana, quàm ἐκ λίνου, id est, ex lino erat. Sindon uero inter linea uestimenta adscribit ab ipso Polluce. Quare puto Ioannem per othonia lintea intellexisse, rectè & uertisse Erasmum, etiam si aliter sentiat Pollux.

ὀθόνη.

Othonia.

CAPVT XIIII.

QVod ait Vlpianus, Ansitaria, quid uelit ingenue fateor me plane nescire. Consului uetustissimos codices, quorum in altero legi ansitapa, in altero, Anticapa. Quo circa si mihi permittis diuinare, uel potius coniectura uti, puto legendum amphitapa. Nam amphitapæ dicuntur uestes utrinque uillosæ. Lucilius libro primo.

Amphitapa.

Psilæ atq; amphitapæ uillis ingentibus molles.

Varro, Manio: Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli. Athenæus ἀμφίταπον dixit in quinto: ταύταις δ' ἀμφίταπα ἀλουργεῖς ὑπέστρωντο τῆς πρώτης ἐρέας. id est: Hisce amphitapa substernebantur è molli lana. Quæ & amphimalla dicuntur. Strabo in quinto. τὴν δὲ μέσην οἱ περὶ πατάουιον ἧς οἱ τάπητες οἱ πλουτελεῖς καὶ γαύσαπες, καὶ τὸ τοιοῦτον πᾶν ἀμφίμαλλόν τε καὶ ἑτερόμαλλον. hoc est: Mediocrẽ uero lanam, ager Patauinus, ex qua tapeta fiũt laudatissima, & gausapinæ, cæteraq; eiusdem generis amphimalla & heteromalla. id est, quæ utrinq; uillosa sunt, uel in altero tantum, cuiusmodi ferè sunt mantę uulgo dictæ, quas Massiliæ fieri uidimus, quæ & amictus & stragulæ uestis usum nautis, & nauigantibus præstant. Hodie ueste serica heteromalla utimur, quam uillosam, & uillutam uulgo dicimus, quemadmodum & lanea heteromalla, quam trippam, nisi fallor, appellamus.

Amphimalla.

Serica uillosa.

CAPVT XV.

AIt Vlpianus, & saga.]Sagum militum erat, quod & inter familiaria adscribitur ab Vlpiano. Tullius. Itur ad saga. Nostri mlites g litera sublata uocabuli Latini

Sagum.

tini ueſtigia retinent, Saum uel ſayon appellantes. id genus ueſtis, quod armis ſuperinduitur, alij acouſtramentum, ut prætoriani. Cicero ad Trebatium: Quamobrem camino luculento utendum cenſeo. Idem & Mutio & Manilio placebat, præſertim qui ſagis nõ abundares. Quod uero ait, idem & Mutio, iocatur Tullius in Trebatium iureconſultum, qui bus moris eſt aliorum autoritate ſuam ipſorum comprobare ſententiam. Græci unico uocabulo, ut opinor, περιθωρακίδια appellant, ea quæ ſuperinduebantur armis. Plutarchus in Artaxerxe. ὡς δὲ μόλις σωθῆναι τὰ περιθωρακίδια φοινικᾶ, λευκοῖς χρωμένων τῶν βασιλικῶν ἁπάντων ἔγνωσαν πολεμίους ὄντας. Lapus feliciter interpretatus eſt: Qui ubi uix rubra ſagula conſpicati ſunt, quod regiæ partis omnes albis uterentur, agnouerũt ſtatim hoſtes eſſe. Strabo uocabulo Latino utitur in tertio. ἐν βασιτανίᾳ δὲ μελανείμονες, τὸ πλέον δ' ἐν σάγοις. hoc eſt. In Baſtetania uero nigris ueſtimentis utuntur ad unũ omnes, magnam ferè partem in ſagis. Vtebantur & Luſitani ſagis, ut autor eſt Strabo in tertio, quibus operiebant captiuos, ex eorum uiſceribus uaticinaturi. Quod immanius mihi quidẽ uidetur, quam quod Galli quondam feciſſe ferunt, ſontes ſcilicet, ac damnatos dijs immortalibus immolaſſe. Plutarchus in Galba ἐσθῆτα στρατιωτικὴν appellat, quod nos, ut opinor ſagũ Extat lex militaris Caij Gracchi, apud Plutarchum in Tiberio, in hæc uerba. ἐσθῆτα μὲν κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῶν μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων. hoc eſt: Sumptu ut publico ſaga militibus præberẽtur, nihil hac de re ſtipendio militari diminuto. A ſago fit ſagulum. Liuius in lxx. Hæc omnia ſagulo gregali amictus. Vergilius. Virgatis lucent ſagulis.

Tacitus de moribus Germanorum: Nudi aut ſagulo leues, nulla cultus iactatio. Et paulo poſt: Tegmen omnibus ſagũ, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum. A ſago fit ſagatus.

Martialis.

Vis te purpureum Marce ſagatus amem?

Tranquillus in Cæſare dictatore: Conuiuatum aſſidue per

Mos iuriſconſultorum.

περιθωρακίδια.

Lapus interpres.

σάγοι.

Luſitani.

Lex militaris.

Sagulum.

Sagatus.

prouincias duobus triclinijs, uno quo ſagati, palliatiue, altero quo togati, cum illuſtrioribus prouinciarũ diſcũberẽt. Saga Liguſtica celebrantur à Strabone in quarto. Tunicæ quoque illic fieri ſolitæ. Abolla quoq; militũ erat, ut Nonio Marcello placet. Vnde iocus Martialis in Criſpinum, qui poſita abolla, togam ſumpſerat.

Saga Liguſtica.
Abolla.

Neſcit cui Tyriam dederit Criſpinus abollam
Dum mutat cultus, induiturq; togam.

Et apud Iuuenalem nõ ſemel. Iam uero & lænam militarem fuiſſe Nonio placet, quam Græci χλαῦναν uocitãt. Plutarchus in Numa. καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαῦνας ἰόβας φησὶν εἶναι. hoc eſt: Etenim quas geſtabant reges, lænas, Iuba chlænas ait eſſe. Palliſs ſuperinduebantur hiberno tempore, ſi Martiali credimus.

Læna.
χλαῦνα.
Chlæna.

Tempore brumali non multum læuia proſunt
Calfaciunt uilli pallia ueſtra mei.

Quod & prouerbio fit manifeſtum. ὦ θέρει τὴν χλαῦναν κατατρίβεις, ἐπὶ τῷ μὴ καθ' ὥραν τοῖς ἀναγκαίοις χρωμένων. hoc eſt: Aeſtate lænam deteris. In eos qui non ſuo tempore rebus neceſſarijs abutuntur. Vtebantur & cœnatorijs pallij uice. Iuuenalis in quinto.

Aeſtate lænam deteris.

Plurima ſunt, quæ
Non audent homines perfuſa dicere læna.

Martialis, ubi de Luſco conuiua furaciſſimo.

Et tectus lænis ſæpe duabus abit.

Nec tamen me fallit fuiſſe quoq; apud Græcos genus ueſtis quæ χλανὶς diceretur, ut eſt apud Herodotum, ubi de Dario.

χλανὶς.

Nec hoc loco omiſerim Gallos olim ſolitos ſagis uilloſis utiquas lænas appellabant. Strabo in quarto. ἡδ' ἐρέα, τραχεῖα μᾶλλον δὲ, ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ὀξυφαίνουσιν, οὓς λαῦνας καλοῦσιν. hoc eſt: Lana uero hirta, uilloſo pilo, ex qua ſaga pexa crebra contexunt, quas lænas appellant. Valerius amiculum dixit. χλανίδος meminit & Athenæus in quinto. πρῶτοι μὲν οἱ τὸν ὄχλον ἀνείργοντες στελλωτοὶ πορφύρας χλανίδος. οἱ δὲ φοινικίδας ἀμφιεσμένοι. Illud fortaſſis quiſpiam mirabitur quod in

Lenæ uilloſæ.
Amiculum.

eodem

eodem dixit Athenæus χλαῖναν quam Plato τρίβωνα appellat in sympoſio. Alcibiades loquitur. ὑπὲρ ἐμοῦ τρίβωνα κατακλινεὶς ἐμοὶ τουτοί. Athenæus uero, οὔτ' ὢν ἀλκιβιάδης σωκρατικοιμήθη ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ γενόμενος χλαῖναν. Cicero ubi de Dionyſio in tertio de natura deorum, in fine. Pellenicæ lænæ celebrantur antiquis uictoribus athletis præmij loco dabãt. Pollux. Strabo in octauo. ὅτι δὲ καὶ κώμη πελλήνη, ὅθεν καὶ αἱ πελλήνικαὶ χλαῖναι, ἃς καὶ ἆθλα ἐτίθεσαν ἐν τοῖς ἀγῶσιν. hoc eſt. Eſt & uicus Pellene, unde & Pellenicæ lænæ, quas & præmia conſtituerãt in certaminibus ludicris. *Pellenicæ lænæ.* *Pellene.*

CAPVT XVI.

Lacerna, quaſi lacera, quod capite minus ſit Sexto Pompeio. Quam militum quoq; fuiſſe conſtat. Propertus in quarto. *Lacerna.*

Texitur in caſtris quarta lacerna tuis.

Ouidius faſtorum ſecundo.

Mittenda eſt domino, nunc nunc properate puellæ
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.

Erant & lacernæ, quibus uterentur Romani cum ſpectaculis operam ſedentariam præſtarent, & togæ ſuperinduebantur ad arcenda frigora. Martialis. *Vſus lacernarum.*

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus
Cum tegit algentes noſtra lacerna togas.

Iuuenalis in nona:

Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri, craſſiq; coloris.

Rurſus Martialis in octauo.

O quantos riſus pariter ſpectata mouebit
Trita palatina noſtra lacerna toga.

Tranquillus: Dedit negocium ædilibus, ne paterentur, in foro, circóue quemquam conſiſtere, niſi poſitis lacernis togatum. Lacernis candidis utebantur in ſpectaculis, ſi Martiali credimus, qui ludit in Horatium, qui nigra lacerna ſpectaculis aderat. *Lacernæ candidæ.*

Spectabat modo ſolus inter omnes

Nigris, munus Horatius, lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusq́;
Sancto cum duce candidus sederet,
Toto nix cecidit repente cœlo.
Albis spectat Horatius lacernis. Hactenus Martialis.

Catonis fides. Concedebatur aliquando, honoris ergò, toga uti prætexta in spectaculis, ut S.P.Q.R. admiratus Catonis fidem & sedulitatem in conseruanda Cypria gaza, ultro ei præcipuam detulit præturam, concessitq́;, ut toga prætexta in spectaculis publicis uteretur. Plutarchus in Catone. ἡ δὲ τὰς θεὰς ἀυτὸμ ὤ ἐσθῆτι περιπορφύρῳ θιάσασθαι. Lacernis utebantur & mulieres. Iuuenalis in prima.

Lacernis & mulieres usas.

Ipse lacernatæ cum se iactaret amicæ.

Ipsi in plerisq; Italiæ ciuitatibus matronas uidimus lacernatas, eo ipso tempore, quo per urbem mirifice tẽperato gressu incedunt. Fortasse uero non inepte dixerim nostros iuris tã diuini, quàm humani doctores, eo enim uocabulo gaudẽt, lacernatos, cum cappis quas uocant, pellitis ornati, tyronibus suis prolytarum, lytarumq́; insignia largiuntur, pro sensus ratione an pro censu nihil habeo dicere. Sacerdotes quoque qui Canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur, ut cucullo, cum in ædis choro sedentario diuinos Dauidis uersus, alternis ultro citroq́; uicibus decantant: tẽpore uero æstiuo, utuntur amictu pelliceo, quem ab amiciendo, opinor, uulgo aumiciam uocant. Quinetiam uidentur lacernæ esse eæ, quibus Cardinales Romæ obequitando, triumphantiummore utũtur, sacerdotij, ut ita dicam dibaphici ius adepti, cum cucullo & Causia purpurea, quam nonnulli capellum rubeum uocant. Qui ne nimium hac de re glorientur, sciant lacernas quoq; pauperiorum fuisse. Iuuenalis in tertia.

Doctores nostri seculi.

Canonici.

Cardinalium cultus.

Lacerna erat & pauperum.

Quid quod materiam præbet, causasq́; iocorum,
Omnibus hic idem, si fœda & scissa lacerna.

Martialis ad Mamurianum:

Cerea si pendet lumbis, ac trita lacerna.

Nobiliores illustriores q́; lacernis non utebantur, nisi pluuio

uio tempore, ut in ſpectaculis. Quare Tullius obiectat Antonio, quod rediſſet in urbem cum Gallicis & lacerna. In ſecunda Philippicarũ ſic ait: Nam quod quærebas quomodo rediſſem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis & toga, nullis nec Gallicis, nec lacerna. In uulgatis codicibus ſcriptum eſt caligis. Tu ex Gellio lib. xiij. Gallicis legas. nos galozas dicimus. Erant enim & quædã lacernæ, quibus pluuioſo tempore uterentur. Plinius xviij. cap. xxv. ubi de uirgiliarum occaſu: Ergo ex occaſu eius de hyeme augurãtur, quibus eſt cura negociatoris inſidiandi auariciæ. Nubilo occaſu pluuioſam hyemem denunciant, ſtatimq; augentur lacernarum precia. Hactenus Plinius. Quæ lacernæ dicebant & penulæ. Aulus Gellius libro xiij. T. Caſtritius rhetoricæ diſciplinæ doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi & docendi, ſumma uir autoritate, grauitateq;, & à D. Adriano in mores literasq; ſpectatus, cũ me præſente, uſus ſum enim eo magiſtro, diſcipulos quoſdã ſuos ſenatores uidiſſet die feriato tunicis & lacernis indutos, & Gallicis calceatos: Equidem, inquit, malluiſſem uos togatos eſſe. Pigitũ eſt ſaltem cinctos eſſe & penulatos. Vides ut quos lacernis indutos dixerat, uocat penulatos. Penulam enim abuſiue nobiliſſimi ueteres dixere omne quicquid tegit. Penula utebantur arcendis pluuijs. Aelius Lampridius in Alexandro: Penulis intra urbem, frigoris cauſa, ut ſenes uterẽtur, permiſit, cum id ueſtimẽti genus ſemper itinerariũ, aut pluuiæ fuiſſet. Matronas tamen intra urbem penulis uti uetuit, in itinere permiſit. Iuuenalis in quinta.

Locus Ciceronis reſtitutus.

Gallicæ.

Penula.

T. Caſtritius.

Penulati.

Penulæ uſus.

Fremeret ſæua cum grandine uernus
Iupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Quintilianus: Galba penulam roganti, non poſſum commodare, inquit, domi maneo, cum cœnaculum perplueret. Idem Galba, penulam roganti reſpondit, non pluit, non eſt opus tibi. ſi pluit, ipſe utar. Quod autem uiatoria fuerit, Tullius ad Atticum xiij. probat: Sed ego, inquiens, ita egi, ut nõ ſcinderem penulam. Prouerbij uice uſurpauit Tullius, ut

Penula uiatoria.

Scindere penulam.

loquimur, non sustinuit ut scinderem mantellum, quo apud me remaneret. Et paulò post: Horum ego uix attigi penulã, & tamen remanserunt. Idem Tullius pro Milone. Cum alter ueheretur in rheda penulatus, unà sederet uxor. & paulò post: Quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè constrictus esset: Erat & penula scortea, scorta enim ueteres pelles nominabãt, cuius meminit Martialis.

Scortea penula.

Ingrediare uiam cœlo licet usq; sereno,
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Penula scortea utuntur ij, qui solenne habent uisere ædem D. Iacobi Caleci, uel uoti, uel nũmi causa, brodes uocamus.

Pesagarij cursores.

Vtunt & pesagarij cursores, qui à Gallia Lugdunensi, quinto aut sexto demum die Romam aduolant, subinde per stationes mutatis equis. Græci penulam φαινόλην uocant. Paulus ad Timotheum secunda: τὸν φαινόλην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, id est: Penulã quam reliqui Troade, apud Carpum, cum uenies apporta. Hieronymus in tertio aduersus Pelagium dialogo, uertit lacernã, siue penulã, ut inquit Erasmus in annotationibus. quod cum Gellio conuenit, qui, ut ferè eadem posuit lacernam & penulam, ut diximus. Athenæus ĩ tertio, πᾶι λευκὲ δός μοι ἄχρηστον φαινόλην, hoc est: Puer candide da mi inutilem penulam. Nos uocabuli Græci uestigia seruamus, μανδύην Græci, nos manteau dicimus. Pollux in septimo, ἡ δὲ μανδύη, ὅμοιόν τι τῷ καλουμένῳ φαινόλῃ. id est: Mandya uero simile quiddã habet cum ea quæ penula uocatur. Quod uero Lampridius scribit, Alexandrũ senioribus permisisse, ut intra urbem penulis uterentur, quis forsitan mirabitur, cum orandis causis, penula munitos fuisse constet ipsos etiam oratores, ex Tacito, in oratorum dialogo, his uerbis: Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus astricti, & uelut inclusi, cum iudicibus fabulamur. Hactenus Tacitus. Namq; ij, sub quorum persona differit Tacitus, ante Alexandrum imperatorem fato functi sunt. Quin et Tacitus ipse, ut mihi quidem uidetur.

φαινόλης.

Lacerna & penula penè pro eodem.

μανδύη.

Mandya.

Penula usos oratores.

Cornelius Tacitus.

Quare in tanta, non ſolum rerum, ſed etiam autorum diuerſitate, eorumq; probatiſſimorum, nihil planè decernere auſim. Quæram uero omnia, dubitans plerunq;, & mihi ipſe diffidens. Tantũ hoc dico, rem ipſam ueſtiariam uariis temporibus, haud prorſus eandem rationem retinere potuiſſe.

Penula gauſapina erat crebra, & uilloſa, qua hyberno tempore & frigido uterentur. Martialis.

Penula gauſapina.

Is mihi candor ineſt, uillorum gratia tanta,
Vt me uel media ſumere meſſe uelis.

Quidam his uerſiculis putauerunt penulã gauſapinam inter theriſtra, id eſt, æſtiua ueſtimẽta annumerari. Verum, ni fallor, falluntur. Senſus enim Martialis eſt. Penulæ dicit talẽ ineſſe candorem, tantam ineſſe uillorum gratiam, ut etiam ſi hyberno uſui ſit adſcripta, tamen qs penulæ ſpecie captus, eam uel media ſumere meſſe uelit. Vſque adeóne iudicio caruere Martialis interpretes? Et ille κέρας ἀμαλθείας, de quo lactis hauſtum gallinacei ſperare poſſis.

Theriſtra.

Martialis locus.

CAPVT XVII.

VEluti ſtolæ.) Vides ut iureconſultus, ſtolam annumerat inter ea ueſtimenta, quibus uir, ſine repreheníone uti non poteſt, licet aliter obſeruetur à Græcis, & Latinorũ antiquiſſimis, ut diximus in principio huius opuſculi. Poſtea uero ad matronarum ueſtẽ hoc uocabulũ translatum eſt, quæ demiſſa erat ad imos uſq; pedes, & cuius extremam partẽ ambibat inſtita aſſuta, quæ erat faſciola quædam, ſiue limbus. Patrum noſtrorum memoria matronæ illuſtriores inſtita utebãtur, quos goddetos uulgo dicebant. Ouidius.

Stola etiam uiros uti.

Stola mulierebris.

Inſtita.

Eſſe procul uittæ tenues inſigne pudoris,
Quæq; tegis medios inſtita longa pedes.

Et aliâs.

Ecquid ab hac omnes rigida ſubmouimus arte,
Quas ſtola contingi, ſumptaq; uitta uetat?

Inde ſtolatum, matronale atq; honeſtum dicimus. Martial.

Stolatum.

Quis floralia ueſtit, & ſtolatum

Permittit meretricibus pudorem?

Limbus. Quod uero instita dicatur et limbus probat Vergilij uersus:

Sidoniam picto chlamydem circundata limbo.

Et Ouidius:

Quàm limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum.

Sunt qui dicant limbũ, muliebre uestimẽtum fuisse, citentq; Plauti locũ, textores limborarij, quo non satis probat quod *Capitia.* uolunt, etiã si id Marcellus uelle uideat. Capitia. capitiũ Varroni dictum quod pectus capiat, hoc est, comprehendat. Et est capitis tegmen, à capite dictum, ut opinor. Quod si uerũ est, in mulieribus id capitiũ dicemus, quod in matronis cappam appellamus, quo undatim crispo utuntur Parrisinæ.

CAPVT XVIII.

Zona. Zonæ hic iureconsultus inter muliebria adnumerat. Martialis.

Longa satis nunc sum, dulci sed pondere uenter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona breuis.

Zona erat & uirorum. Zona quoq; erat uirorum, in qua solebant deferre nummos. Inde præceptũ illud domini, apud Matthæũ: Ne possideatis aurũ, neq; argentum, neq; æs in zonis uestris. Extat Gracchi dictum, in oratione, quam ad populum in concione habuit: Itaq; Quirites, cum Roma profectus, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes rettuli. Alij uini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportarũt. Plutarchus in Tiberio, pro zona βαλάντιον uertit, his *Βαλάντιον.* uerbis. μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλάντιον εἰσενηνοχὼς, κενὸν ἐξενηνοκέναι. Etiã si idẽ Plutarchus aliâs his uerbis utat in Lucullo scilicet. οἱ δ' ἄγοντες αὐθόμενοι, πεντακοσίους ὑπερωσμένον ἀπέκτειναν. Illud uero non omittendũ quod scripsit Athenæus in primo, reges Persarum & Aegyptios dare solitos reditum tributorum Alexandriæ ciuitatis uxoribus suis in zonas Socrates quoque apud Platonem in Alcibiade priore ait: ἐπεί ποτ' ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἐξιόντος τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν φώραν πάνυ πολλὴν ἀγαθήν.

ἀγαθὴν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους, ζώνην φῆ βασιλέως γυναικός, εἶναι δὲ καὶ ἄλλην, ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν, καὶ ἄλλας πολλοὺς τόπους, καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς, εἰς τὸν κόσμον ἐξημμένους, τὸν φῆ γυναικός, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. Porrò autem latis zonis utebantur & mulieres apud Illyrios, quæ præcingũt uentrem latis zonis quando bibũt, & hoc primum mediocriter præstringunt. Cum uero acrius bibunt, magis semper cogunt, comprimuntq; zonam. Verba Athenæi subscriberem, quem laudo autorem, ni uerear lecturis stomachum facere. Erat & cinctus & cingulum à cingendo, ut inquit Varro. Alterum uiris, alterum mulieribus attributum. A quo & cinctura dicitur. Tranquillus in Cæsare dictatore: Vsum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter super eum cingeretur, & quidem fluctiore cinctura. Vnde emanasse Syllæ dictũ, optimates sæpius admonentis, ut male præcinctũ puerũ cauerẽt. De baltheo dubitari potest, an uestimentorum appellatione ueniat. Et magis est, ut armorum nomine comprehendatur, quandoquidem baltheum Varro inter arma adscripsit, dictũ quasi bullatũ cingulũ. Tacitus quoq; xvij. recenset, inter armorũ ornamenta, in hæc uerba: Manipuli quoq;, & gregarius miles, uiatica sua, & baltheos, phaleras q; insignia armornm argento decora, loco pacuniæ tradebant. Græci ζωστῆρα appellant. Plutarchus in Camillo: ἀπολυσάμενος τὴν μάχαιραν, ἅμα καὶ τὸν ζωστῆρα προσέκνε τοῖς σαθμοῖς. hoc est: Gladium unà cũ baltheo exutum lancibus apposuit.

Illyricæ mulieres.

Cinctus.

Cingulum.

Cinctura.

Syllæ dictum de Cæsare.

Baltheus.

Baltheus unde dictus.

ζωστήρ.

CAPVT XIX.

Mitra.

Mitræ) Mitra utebantur matronæ. Varro de lingua Latina: Mitra & reliqua ferè in capite. Postea addita cum uocabulis Græcis. Vtebantur & reste, hoc est fasciola, qua capillũ in capite colligaretur. Erat autẽ reticulum, quod capillum contineret, nos cophiã uocamus. Capital quoq; à capite dictum, quod sacerdotale, inquit Varro, in capite nunc solent habere. Sic rica à ritu, qd Romano ritu sacrificium fœminæ cũ faciunt, capita uelant.

Restis.

Reticulum.

Capital.

Rica.

CAPVT XX.

Pileus. πιλίον.

PIleus, quod & pileum dicitur, in plurari, ut quidã putant, uel quod ex pilis fieri soleret, uel quod pilos capitis tegeret. Græci τὸ πιλίον. Plutarchus in M. Catone τὸ πῖλίον ἐκεῖ, ἀρχὴ τῶν ζώνων ἐπιλελησμένων. Et capitis tegimen fuisse patet ex Martiali.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Et aliâs.

Dumq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Mos manumittendi seruos.

Mos fuit Romanis, ut eorum serui libertatem assecuti pileũ capite tonso gestarent. Plautus: Vt ego hodie raso capite caluus accipiam pileum. Plutarchus in Tito, οἱ γὰρ ἄνδρες οὗτοι καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς οἰκέταις, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξυρέσθαί τε τὰς κεφαλὰς, καὶ πιλίᾳ φορεῖν, ταῦτα δρᾶσαντες αὐτοὶ θριαμβεύοντι ὡμαῖζείποντο. hoc est: Viri enim illi, qui mos seruorum est cum libertate donantur, rasis capitibus pileati in triumpho Titum

Serui pileati.

comitabantur. Hactenus Plutarchus. Serui quoq; cum pileati uenibant, eorũ nomine uenditor nihil præstabat, ut Cælius Sabinus scriptũ reliquit. Cuius rei causam esse ait, quod eiusmodi conditionis mancipia insignia esse in uendundo deberent, ut emptores errare & capi non possent, neque lex uendundi operienda esset, sed oculis iam perciperent, quod nam esset mancipiorum genus. Hæc Gellius noctium Atticarum septimo.

Tiara.

Tiara erat capitis tegmen orientis. Ouidius in undecimo de Mida rege.

Tempora purpureis tentat uelare tiaris.

Putarchus inter Medicam stolã adnumerat in Antonio, qui in publicum filios produxit, ἀλέξανδρον μὲν ἐν ἐσθῆτι μηδικῇ, τιάραν καὶ κίταριν ὀρθὴν ἐχόσῃ, hoc est: Alexandrum Medica uestem, tiaran & citarin rectam habente. Hierony. ad Fabiolã. Quarum genus est uestimẽti rotundũ pileolũ, quasi sphæra media sit diuisa, ut pars altera ponatur in capite. Hoc Græci

Galerus.

& nostri tiaram, nonnulli galerum uocant. Plutarchus in Artoxerxe, ἀποπίπτει δὲ τῆς κεφαλῆς ἡ τιάρα τοῦ κύρτου, hoc est: Decidit à capite

à capite tiara Cyri. Quo in loco pro galea accipi uidetur. Hesychius enim ait, quandoq; esse περικεφάλαιον, quod antiqui dicebant ueluti σέμμα, autor Pollux. κίταρις, quam nonnulli cidarim uocant, Persarũ quoq; regum insigne erat, si recta gestaretur. Plutarchus in Artoxerxe. ἀνέδειξε τὸν Δαρεῖον βασιλέα πεντήκοσον ἔτος γεγονότα, καὶ τὴν καλουμένην κίταριν ὀρθὴν φέρειν ἔδωκε, id est: Designauit Darium regẽ quinquaginta annos natum, permisitq;, ut eam quæ citaris appellatur, rectam gestaret. Cidaris quoq; capitis ornamentum regum Armeniæ, quod & diadema appellatur. Plutarchus in Lucullo. τὸν Τιγράνην δ' αὐτὸς ἑαυτὸν γυμνὸν, καὶ ἄνοπλον φέρων ὑπέρ ἵππε πομπήϊον, καὶ τὸ διάδημα ἀπὸ κεφαλῆς ἀφελόμενος ἔθηκε πρὸ τῶν ποδῶν. hoc est: Ipse uero Tigranes nudus & inermis ante Pompeium procidit, sublatum'que à capite diadema ante pedes posuit. Quod hic diadema dixit Plutarchus, citarim in Pompeio appellat his uerbis. καὶ τέλος, ὡς πρὸς αὐτὸν ἦλθε πομπήϊον ἀφελόμενος τὴν κίταριν ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι. hoc est. Postremo, ut ad ipsum Pompeiũ uenit, sublato è capite citare, ante pedes collocare pergit. Vides ut cum de eodem Pompeio & Tigrane eadem referat, quod Lucullo diadema dixerat, in Pompeio citarim uocet. Quare puto utrumq; simul iunctum, insigne regiũ esse, ut de tiara & cidare recta diximus, ex Plutarcho in Antonio. Quin Suidas & Hesychius citarẽ & tiaram eadem existimasse quosdam scripserunt. Cidaris uero, ut ait Pollux, appellatur & Cyrbasia, & pileus. τὴν δὲ κυρβασίαν καὶ κίδαριν, καὶ πῖλον καλοῦσι. Ludouicus Cælius in antiquis suis lectionibus legit anaxyris, quam & cyrbasiam dicunt falsus corrupti exemplaris errore. Legendum enim in Polluce τὴν δὲ, non, τὴν καὶ. Salustius: Tunicas uersicolores æneis succincti baltheis, togasq; annectentes fibulis circumductis purpura, subtegmine puniceo, quas trabeas uocant. Est enim gentilis ea uestis Romanis ualde honorifica & quos apices uocant, capitibus imponentes pileos altos, in speciem coni eductos, quas Græci κυρβασίας appellant. Diadema ornamentum capitis regum insigne. Ta-

Tiara pro galea.
κίταρις.
Cidaris.
Diadema.
Cidaris.
Cyrbasia.
Ludouicus Cælius.
Diadema.

citus in quinto: Surena patrio more Tiridatem insigni regio euinxit. Paulo post subdit, delectum capiendo diademati diem hunc concelebrauerant. Surenæ enim gentilibus ius erat, nouo rege primũ diadema ponere, ut palàm sit ex Plutarcho in Crasso, in hæc uerba: Ἦν γάμος μὲν οὖν ἐξ ἀρχῆς ἐκείνῃ τῷ βασιλεῖ γαμουμένῳ πάρθων ἐπιτιθέναι τὸ διάδημα πρῶτος. Reginæ quoq; eo insigni ornabãtur, ut docet Plutarchus in Lucullo, de Monima Milesia altera Xerxis uxore, cuius magna fama & honor apud Græcos, ὅτι τὸ βασιλέως πειρῶντος αὐτῆς, ἡλλ μυρίους πενταχιλίους χρυσοῦς προπέμψαντος ἀντέχε μέχρι οὗ γάμον ἐψήφοντο σωθῆναι, ἢ διάδημα πέμψας αὐτῇ βασίλισσαν ἀνηγόρευσε, hoc est: Quod regi ipsam attentanti, præmissisq; quindecim aureorum millibus euocanti nõ paruerit, donec de matrimonio conuentum fuerit, missoq; diademate reginã salutarit. Aureum pro centũ solidis nostris accipe, ut docuit Budæus ex Tranquillo & Plutarcho & Tacito. Erat autem diadema fascia quædam, qua caput circumligabant, unde illa cuius modo mentionem fecimus, Monima, cũ à capite diadema abstraxisset, collo aptauit, seq; suspendit. περιῶσασα φῆ κεφαλῆς τὸ διάδημα ζῷ' τραχήλῳ περιῆψε, ἢ ἀνίστησεν ἑαυτήν. Et cũ corporis grauitate laqueus ille confractus esset, ô execrandum, inquit, diadema. Neq; in tam tristi mihi ministerio profuisti. A diademate, Metellorum unus dictus diadematus, ut inquit Plutarchus, in Coriolano. ὅτι πολὺν χρόνον ἔχων περιενόσει πῦρ ὁ μετέωρον. Quare quidam non indocti apud Plinium in septimo diadematis legunt, his uerbis: Et hoc dicebat, iam Balearicis & Creticis, & diadematis, iam Macedonius ipse. Etiam si nonnulli putent legendum, non diadematis, sed Numidicis, ex Plutarcho in Lucullo, in ipso statim principio, quum ait, auunculum Luculli fuisse Metellum eum, qui Numidicus est cognominatus.

Diadema & reginarum fuisse.

Aureus.

Monima Milesia.

Metellus diadematus.

Locus Plinij.

Vitta.

Vitta tegimen capitis matronarum. Tibullus.

Sit modo casta doce, quamuis non uitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Vestales uirgines.

Erat quoq; Vestalium, qua cum plaga utuntur eæ, quæ perpetuam

petuam uirginitatẽ deo uouerunt, unicũ dei filium ſponſum agnoſcentes. Erat aũt plaga grande tegimẽ lineũ, qua hodie mulieres Romanæ utunt, cuius diminutiuũ eſt plagula, cuius meminit Vlpanus hic. Calanticæ etiã meminit Vlpianus in ſeq. & erat tegmẽ muliebre capitis. Cicero: Tu ne cũ mentirentur pedes fuſci, cũ calanticã capiti accõmodares. κωνῆ pileus erat Lacedæmoniorum. Strabo in ſexto, ubi de origine Tarantí loquitur, σωέκειτο μὴν, inquit, τοῖς ναικινθίνοις ἐν τῷ ἀμυκλαίῳ σωτελεσμὸν τοῦ ἀγῶνος, ἡνίκα τὴν κωνῆν περιθῇ ὁ φάλανθος, ποιεῖσθαι τὴν ἐπίθεσιν. Loquitur de inſidijs quas Lacedæmoniorum Helotes, id eſt, mancipia uocati & partheniæ populariibus ſtruxerant. Conuenerat, inquit, cum Hyacinthinis, ut inſultus initium fieret in populares, quando habita in Amyclæo ludorum celebritate, Phalãthus capiti cynam imponeret. Cynam paulò poſt idẽ autor, ut opinor, ex Ephoro, pileum Laconicum appellat, licet aliter rem ipſam narret. Xynæ quoq; meminit Athenæus. xiiij. τοῖς δὲ εἵλωσιν πᾶν ὑβρισικὸν ἔργον ἐπιτάττοντι πρὸς πᾶσαν ἀγοραν ἀτιμίαν. κωνῆν δὲ γε ἕκαστον φορεῖν ἠνάγκες. Heſychius uero ait, petaſum, eſſe pileum Archadicum, quibus uerbis palàm fit, petaſum fuiſſe tegmen capitis, unde petaſati dicti. Tranquillus in Auguſto: Domi quoq; non niſi petaſatus ſub dio ſpaciabatur, hoc eſt, uelato capite. Athenæus in quinto. ἐπὶ δὲ πάντων τὸ πωμὰ ναβεβήκει παιδάρια χιτῶνας ἔχοντα ἡνιοχικοὺς, ἡλῳ πετάσους Et in xij. ubi de Alexandro. ἐν δὲ τῇ σωσσίᾳ τάπη πέδιλα ἡλῳ τὸν πέτασον. Marcus Tullius in epiſtolis ad Caſſium: Sed petaſati ueniunt comites, ad portas expectare dicunt. Cauſia etiã capitis erat, quæ purpureæ dabantur à regibus Macedonũ ut diximus. Erat enim Macedonum cauſia. καυσία πῖλος μακεδονικὸς πῆ ἀ μλωάνδῃ, ait Pollux, in x. ut tiara candys, ut ἀναξυρίδες Medorum & Perſarum. Erat autem Candys tunica quæ regis erat haliporphyros, aliorum uero purpurea, ut ait Pollux. Atqui Alexãder Magnus, uti ferũt, anaxyridas, candyn, tiaramq; ſemper repudiauit. Erant autem anaxyrides feminalia, ſeu brachæ, ut inquit Suidas, Heſychius, & etiã,

Plaga.
Plagula.
Calantica.
κωνῆ
Helotes
Cyna.
Xyna.
Petaſus.
Petaſati.
πέταρῃ.
Cauſia.
Candys
Anaxyrides.

ut audio Eustathius, in Homerum Iliados secũdo. Quod & Strabo dixisse uidetur, cum ait, in quarto, ubi de cultu Gallorum: σαγοφορεῖσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι, καὶ ἀναξυρίσι χρῶνται περιπεταμμέναις. hoc est. Sagis utuntur, & comã nutriũt, oblongisq; feminalibus, quas unico uocabulo brachas dicere possumus. Idẽ Strabo autor est, ἀναξυρίδας Persarũ quoq; fuisse, his uerbis: ἐωθὲς δὲ τοῖς ἡγεμόσι, καὶ ἀναξυρὶς τριπλῆ. χιτὼν δὲ χειριδωτός, τριπλοῦς, ἕως γόνατος. ὁ ὑπενδύτης μὲν λευκός, ἄνθινος δὲ ὁ ἐπάνω. ἱμάτιον θέρους μὲν πορφυροῦν ἢ ἄνθινον, ἄχρι παρὰ πλησία ταῖς πτῶ μάγων, ὑπόδημα κοῖλον διπλοῦν, τοῖς δὲ πολλοῖς χιτὼν ἕως μεσοκνημίου, καὶ διπλοῦς. ξάκος δὲ σινδόνιον περὶ κεφαλῆς. hoc est, Persarũ principes uestis uice uti bracha tripla duplaq;, & manicata tunica ad genua usque promissa, cuius suffultura uticq; candida, exterior uero pars picta. Eorũ pallium æstate purpureũ, uel uariũ, hyeme uero pictum: tiaræ haud absimiles, eis quas magi gestant, calciamentum cauum ac duplũ; uulgus autẽ tunicam ad mediam usq; tibiã gestant, eamq; duplam: fascia uero sindonica caput euinciunt. Erant aũt brachæ Gallorũ transalpinoũr, Britonumq;. Martialis.

ἀναξυρίδες.

Brachæ

Quod ueteres brachæ Britonis pauperis.
Quibus & pudenda tegebantur. Iuuenalis.
Mittentur brachæ, cultelli, frena, flagellum.

Tacitus xvij. Ornatũ ipsius municipia & coloniæ in superbiam trahebant, quod uersicolore sagulo brachas, tegmen barbarũ indutus, togatos alloqueret. Plutarchus in Othone ἐκείνων δὲ κενίνας, οὔτε χῆμα δημοτικὸς, ἀλλ' ἐπαχθὴς καὶ ἀλλοκότου σώματος μεγάλου, γαλατικῶς ἀναξυρίσι καὶ χειρίσι ἐνεσκευασμένος. Quibus uerbis eadem ferè quæ apud Tacitum retulisse uidetur Plutarchus. Vnde brachati dicti Narbonenses ut ait, Plinius. Iuuenalis in octaua.

Galli brachati.

Vt brachatorum pueri, Senonumq; minores. Nunc uero etiam brachatis & transalpinis nationibus. Scitum est illud Tranquilli: Gallos Cæsar in triumphũ ducit. Idem: In curia Galli brachas deposuerunt, latum clauum sumpserunt. De brachis, etiam ut opinor, dictum prouerbialiter, ut de re in-

Prouerbium.

ſolita, ἀμαθὴς ἀναξυρίδα περιθέμενος πᾶσιν ταύτην ἐπιδείκνυσι. hoc eſt. Imperitus bracham indutus, omnibus eam oſtentat. Neque uero puto ἀναξυρίδα ſubligaculum fuiſſe, quod tantũ, ut opinor, pudendorum uelamen erat, neq; femora contegebat, ut brachæ & ἀναξυρίδες, quæ & ob id feminalia dicuntur à probatiſſimis autoribus. Subligaculi uero meminit Tullius officiorũ primo: Scenicorũ quidem mos tantam habuit à uetere diſciplina uerecundiam, ut in ſcena ſine ſubligaculo prodeat nemo. Græci περίζωμα uocant. Plutarchus in Romulo: ἐν περιζώμασι γυμνοὶ διαθέουσι. Et Athenæus, ni fallor, διαζώσφας appellat, in xiiij. αἱ θετταλαὶ αὗται ὀρχηστρίδες, καθάπερ αὗται ἔθος ὄντων ἐν ταῖς διαζώσφαις γυμναῖς ὠρχοῦντο, qđ dictũ fortaſſis eſt ἀπὸ φθοσφύος. Quare quod ſcriptũ eſt in epiſtola Pauli ad Epheſios, ad finem: ἐστηκότες περιζωσάμενοι τὰς ὀσφῦς ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, uerti potius debuit: Succincti ſubligaculo, uel ſuccincti ſimpliciter, quàm baltheo. Nihil em̃ cõmune lumbis cũ baltheo. Nec te moueat, quod doctiſſimos mouiſſe uidetur, quod ſcilicet ſupra mentionẽ fecit, πανοπλίας. Poſt hæc enim ſubdit, de calciamentis, quæ nec armorũ appellatione ueniunt, nec ueſtimentorũ, ſi iureconſultis credimus.

Feminalia.
Subligaculum.
περίζωμα.
διάζωσφα.
Locus Pauli.

CAPVT XXI.

ARiſto, etiam coactilia ueſti cedere ait.) Coactilia, inquit Aegnatius iureconſultis dici uidentur pelles, ſeu lora, quibus inuoluũtur, adligantur'ue ueſtimenta, quæ omnia inſtrumenta uiatorij ſint. Hactenus Aegnatius. Quibus uerbis uidetur id ſignificari, quod Græci φάσκολον dicunt, Itali ualize, nos uero malle. Ego ante quàm hæc Aegnatij uerba legiſſem, aliter ſentiebam, ſiquidem meminerã me legiſſe apud Plinium in octauo: Lanæ & per ſe coactæ ueſtem faciunt, unde coactilia dicta putabam, ea quæ uulgo feltra appellamus. Nũc uero tanti uiri autoritate permotus ſubſiſto. Quod ſi uerum tibi, lector, uidebit, quod nos ante uulgata Aegnatij ſcholia opinati ſumus, auſim & ego opinari bis ad eundẽ lapidem Aegnatiũ offendiſſe. Neq; enim pertinaciter in Pertinace Capitolini legendũ: tabernam coactiliariam, ut cenſet Aegna-

Coactilia.
Baptiſta Aegnatius.
φάσκολον.
Locus Capitolini.

tius, sed coctilitiam potius, id est, eam in qua coquebantur li
gna ne fumum facerent, quorũ meminit Vlpianus in l. ligni
Ligni acapna. appellati supra de leg. 3. & de uerb. sig. his uerbis, Sed & ti=
tiones, & alia ligna cocta, ne fumũ faciant. Quæ etiam à Mar
tiali ligna acapna dicuntur, quæ & forsitan coctilia dicuntur
à Trebellio Pollione in D. Claudio, in hæc uerba: Ligni quo
tidiani pondo mille si est, copia, sin minus, quantũ fuerit, &
coctilium quotidiana batilla quatuor. Quæ Iulius Pollux in
ξύλα κάυσιμα decimo ξύλα καύσιμα appellat. Quod uero apud Plinium in
octauo, post hæc uerba suprascripta, in uulgatis codicibus le
Locus Plinij. gitur: Indumenti usum ueniunt, legendũ, in tomenti usum
ueneunt. Cuius loci me admonuit, uolo enim suæ cuiq; indu
Christophorus Longolius. striæ honor reddatur, Christophorus Longolius, uir mecum
ijsdem Græcarũ literarũ studijs, ueluti sacris initiatus, eoq; nomine mihi amicissimus. Ille em̃ unus in causa fuit, uti post habitis rabularũ alcertationibus, quibus audiendis in supre=
ma Parisiorũ curia tempus tereremus, Romam unà cum eo ad capiendum ingenij cultum concederem, cuius immaturo interitu, Romanæ, Græcæq; literæ damnũ nõ mediocre fe=
cerunt, cuiusq; singularem, tum doctrinam, tum uirtutẽ ad=
mirati Romani, eum non petentem ciuitate donarunt. Labo
ris enim improbitate, ingenijq; felicitate eò gradum fecerat.
Vnde si porrò fatorũ clementia uitæ diem prorogante adni
sus fuisset, peruenire ad summa, & doctissimo cuiq; in utriusq; linguæ facultate æquari potuisset. Latine quidẽ loquen=
do nescio an habuisset parem neminem. Quod si quis meum
hac in re testimonium eleuet, ut hominis Longolij amicissi=
Germani Brixij uersus in C. Longolium. mi, Germani Brixij carmẽ legat, uiri utriusq; linguæ studio=
sissimi, tum uero poetæ felicissimi.

Longolio uix dum digresso matris ab aluo
Dixerat Aonidum nomine Mercurius,
Cresce infans, tibi ab ingenij, linguæq; disertæ
Dotibus, olim ingens, me duce, fama aderit.
Quam primis postquam sibi conciliasset in annis
Longolius fuso, nocte, dieq;, oleo.

Ne

Tum deus eloquij ueritus, si debita fati
Ordine uixisset tempora Longolius,
Ne sibi præriperet linguæ decus, inuidus illum
Contactum uirga sustulit ante diem.

Εἰς τὸ αὐτὸ τοῦ αὐτοῦ.

Κείμηλος ἐμ μυσσῶμ κόλπωοις ἀντήνορος ἐντὸς
πείχους, λογγόλιομ μοῖρ' ὁλοὴ δάμασεμ.
τῷ ξα ἓξ πόλιος στέφανομ δωρήσατο δώμη
ἀσείῳ γέραϊ ξεῖνομ ἀμειβομένη.
εἵνεκα τῶντε λόγωμ, καὶ λέξιος εἵνεκα κομψῆς
εἵνεκα φρ διδαχῆς, εἵνεκα τῆ χαρίτωμ.
δύσμορε λογγόλιος, φατὸμ ὣς, θάνες ἐμ νεότητι
καί περ ἐὼμ ζωῆς ἄξιος ἀθανάτ.

Hæc Lazarus Bayfius cõmentabatur, emendaturus, immutaturusq́, si quid sit, quod à uarietate iudiciorum desideretur.

INDEX GRAECOLATINVS IN LIBRVM L. BAYFII *de re uestiaria per ordinem abecedarium.*

A Bolla pagina 50
Acapna ligna. 64
Accinctus. 23
Accursij lapsus. 7
Adulterij pœna. 27
Aestate penulam deteris. 50
ἀλυργίς. 12,34
Amethystus 8
Amethystinatus 8
Am. Marcellinus 18
Amiculum 50
Amicitia prætextata 32
Amphimalla 48
Amphitapha eadem
ἀμφίταπος. eadem
ἀναξυρίδες. 61,62
Anaxyrides eadem
ἀνδρεῖον ἱμάτιομ 28
ἀνδρομανεῖς. 45
An triũphantiũ fuerit prætexta. 32
ἄνθιναι uestes. 33
Arma 24

Asbestinum linum 16
Attalus 21
Attalicæ eadem
Athenienses 38
Augustus Cæsar 23
Aureliani imp. dictum 21.18
Aureus numus 60

B

Babylon 22
Βαλάνινον 56
Baltheus 57
Baltheus unde dictus 57
Βάμμα σαρδωνικόν 7
Baptista Aegnatius 21.& 63
Blateus color 18
Bombyces 19
Bombycina eadē
Brachæ 62
Brixij uersus in Longolium 64
Buccinum 7
Budæi laus 2.& 25
Bulla 32
Bulbus lanifer 16
Byssus 17

C

Calantica 61
Camisia 41
Canusinæ lanæ 2
Canusinatus eadem
Candys 61
Causia eadem
Canonici 52
Capitia eadem
Capital 57
Cardinalium cultus 52
Carteia prouincia 7
καθαρὸν μάλλον 29
Catonis fides 52
Catonis frugalitas 39
Catonis mos eadem
Censores 31
Centum quadrantes 26
χειρόμακτρα 16
χιτῶνες περιπόρφυροι 30
χιτὼν πλατύσημος 43
χιτώνιον ἐχέσαρκον 41
κίτρις 59
χλαῦνα 50
χλαῦνα, quæ & τρίβων 51
Chlænæ uillosæ 50
Chlamys Alexandri 38
χλανίς 50
Christophorus Longolius 64
Cingulum 57
Cinctura eadem
Cinctus eadem
Clauata 21
Claui aurei 22
Claui in mappis 43
Clauus quid sit 43
Clauus latus 43
Coa uestis 19
Coactilia 63
Cocta ligna 63
Coccina 14
Coccinatus eadem
Coccum 13
κόκκος βαφική. eadem
Cœruleus color 4.& 6
Cœrulus eadem
Cœsius eadem
Colores apud Gellium 4
Color castaneus 5

Colores ex Platone eadem
Colores lanarum 3
Color ferrugineus
Color fuluus 3
Color molochinus 5
Color phaniceus 4
Color ruffus 3
Color Rutilius 3.4
Comœdiæ togatæ 27
Conchylium 7
Conchyliata ueſtis 11
Coruſcatio 6
Cornelius Nepos 8
Cornelius Tacitus 20.54
Crocota 5
Crocotula eadem
Crocotarij eadem
κροκτός eadem
κροκώδων ibidem
Cubicula uiatoria 2
Cyrbaſia 59
κῦμα 5
Cymatilis eadem
Cyna ſeu κυνῆ 61

D

De uaſtibus aureis 20
διάζωσφα 68
Dibapha Tyria 8
δίβαφον 3
Diadema 59
Diadema rerginarum 60
Diadematus Metellus eadem
Dictum Aureliani 21
Dictum Syllæ de Cæſare 57
Dionyſius ſenior 1
Diſcinctus 23
Doctores noſtri ſeculi 49
δραχμαί 39
Duaydæ 41

E

Endromis
ἐφαπτίς 47
ἐφεστρίς 36
Eriophoros bulbus eadem
ἐρυθρός 17
ἐωθής 3
ἑπερόμαλλον 1
ἔριφοι 48
ἐριφίδες 39

F

Feminalia 63
Ferrugineus color 5
Flauentes comæ 4
Flores colore nobiles 12
Frugalitas Catonis 39
Frugalitas Maſſilienſium eadem
Fulgor 6
Fuluus color 3.6
Fuſcus color eadem

G

Galerus 58
Gallia togata 27
Galli Brachati 62
Galli φιλέλληνες 41
Gallicæ 53
Germani Brixij uerſus 64
Georgius Merula 31
Glaucus color 4.& 6
γλαυκῶπις 4
Gul. Budæus 2
Gul. Budæi laus 25

H

Helotes 6
Hercules inuenter purpuræ eadem
Hiſpani togati
Hodæporica ueſtis 2

Holoserica uestis 18
Hyacinthus 12
Hyacinthina eadem
Hysginum 15
ὑσγινοβαφῆ eadem

I

Iacobus Gillius 22
Ianus Lascaris 2
Ianthina 12.11
Illyricæ mulieres 67
Ima tunica. 40
Instita 55
Insitæ picturæ 22
Inuentio purpuræ 6
ἴον 12
Iurisconsultorum mos 49
Ius laticlaui 43

L

Lacerna 51
Lacernarum usus eadem
Lacernæ candidæ eadem
Lacernis & mulieres usas 52
Lacerna erat & pauperum eadem
Læna 50
Lænæ uillosæ eadem
Lanarum genera 2
Lanæ Canusinæ eadem
Lanarum colores 3
Lanæ Mutinenses eadem
Lanæ Pollentinæ 2
Lapsus Accursij 7
Lapsus Sipontini 47
Lapus interpres 49
Lapis Caristius 16
Laticlauius 43
Latus clauus 22
D. Lazarus 40
Lex militaris 49
Ligna acapna 64
Ligna cocta eadem
Linei thoraces 25
Lineæ uestes 16
Limbus 56
Linum asbestinum 16
Locus Ciceronis 53
Locus Capitolini 63
Locus Pauli 63
Locus Matthæi 13
Locus Plinij 12 & 60.64
Locus Taciti 20
Locus Martialis 55
Longolij laus 64
Lorica linea 23
Lucullus 23.27
Ludouicus Cælius 59
Lusitani 49
Luteus color 4.5
Luteolus 6

M

Macrobius 32
Macedones 36
μανδύη 54
Manicatus 40
Manulcatus eadem
Marcellus florentinus. 6
Martha Bayfia 18
Massiliæ laus 40
Massiliensium frugalitas 39
Medica uestis 19
Medica tunica 41
Megalensis purpura 9.& 10
Metellus diadematus 60
Mitra 57
Molochinus color 25
Monima Millesia 60
μονοχίτων 41

Moreus color 6
Mos Catonis 39
Mos iuriſconſultorum 49
Mos manumittendi ſeruos 58
Mulierum priuilegia apud Rom. 31
Murices 11

N

Nauigare in Maßiliam 40
Numas 37. Nummus 8

O

ὁδοιπορική 2
Opera togata 42
Ornamenta ſenatoria 33
Oſtrina ueſtis. 5. Oſtrũ. ead.
ὀθόνη. 48
Othonia eadem

P

Palla aurea 21
Palla Gallica 46
Palla honeſta eadem
Palla unde dicta. 47
Palla tragœdorum eadem
Pallia cœnatoria 46
Pallium 44
Pallia communia eadem
Palliolatus 46
Pallium philoſophorum 44
Palmata toga 33
Palmata tunica 43
Pamphile Coa. 19
Papirius prætextatus 32
Paulus Aemilius 30
Pelagus. 8 Pellene 51
Pellenicæ lenæ eadem
Penula ſcortea 54
Penula uſos oratores 54
Penula gauſapina 55
Penula uiatoria 53
Penulatus eadem
Penulæ uſus 53
περίζωμα. 63
περίλθυκον. 30
Peſagarij curſores 54
περιπόρφυρος 10. 29
πέτασος 61
Petaſus eadem
Petaſati eadem
φάσκολον 63
φαινομηρίδαι 45
φαινόλης 54
Phœniceus color 4
φοινικίς 12. 36
Pictæ ueſtes 22. 33
Pileus 58
πίλιον 58
Pileati ſerui eadem
Plaga 61. Plagula eadem
πλατύσημος χιτών 43
Plumbei 23
πόδεα 16
Pollentia 2
Pollentinæ lanæ eadem
Politianus 40
πολύμιτα 22
Pompeius Alexandro ſimilis 38
πορφυρίς 12
Præcingere 23
Prætexta 10. & 30
Prætexta unde dicta. 29
Prætexta quid proprie 3
Prætextæ uſus 31
Prætextæ origo 31
Prætextata amicitia 32
Prætextati pueri 29
Prætextatus 32

Prætexta an sit triumphantium ead.
Precium purpuræ 8.& 10
Precium tyriarum 9
Promiscuæ uestes 44
Prouerbium 62
Pura uestis, id est candida 29
Purpuræ inuentio 6
Purpuræ usus 7
Purpuræ precium 8.& 10
Purpura pro magistratu 8
Purpura insigue magistratuũ. eadem
Purpureus color 6

Q

Quadrans 25
Quid proprie sit sericum 20
Quies tunicata 42

R

Raphaël Volateranus 13
Restis 57.
Rica
Rhytum 41.
Rubidus 4.
Rutilus
Reticulũ eadem
eadem
Rubeus 6
Rufus color 3
3.& 4

S

Saga 23.
σάγοι
Sagatus
Sagulum
Saga Lygustica.
Sarra 9.
Sardanapalus 15
Scindere penulam 54
χιτὼν χιτῶν 45
Scortea penula 54
Scutula 3
Scutulatus textus eadem
Seres 17
Sericum unde eadem
Sagum 48
49
eadem
eadem
50
Sarrana eadem
Serica eadem
Serum barbaries 18
Serinda ciuitas eadem
Serica uillosa 48
Sericum quid proprie 20
Serui pileati 20
Signum prælij futuri 14
σὴς ἀρὸς 17
Sindon 47
Sipontini lapsus eadem
Spartanarum cultus 45
Spadix 9
Stola quid sit 1
Stola apud ueteres eadem
Stolatus 55
Sportula 25
Στέλλομαι 2
Stola muliebris 55
Stola unde dicta 2
Subligaculum 63
Subserica uestis 18
Succincti 23
Syllæ dictum 57
σώθεσις 27

T

Tacitus imperator 17
Talentum 19
Tarquinius priscus 20
Testamentum procinctum 25
τήβεννα 24
τήβεννος eadem
Theristra 55
Thoraces linei 23
Tiara 58
Tiara pro galea 59
Tinctura Sardonica 7
T. Castritius 53
Toga 24

Toga pro pace. 24
Toga pura 28
Toga ἀπόσφυξος eadem
Toga rara 28. & 42
Toga τέλος 28
Toga prætexta. 33
Toga purpurea 34
Toga picta 10. & 34
Togati 28. Togatus 25. 27
Togatulus 25
Togatæ comœdiæ 27
Togula 25
Togata opera 42
Trabearum genera 34
Trabeæ usus 35
Trabeæ equitum eadem
Trabeæ consulares 33
Trabea prætorum eadem
Trabea triumphantium 9
Τρίβων 51
Triumphantium ornatus 10. & 34
Tudertania 13
Tullus Hostilius 32
S. Tulli prætextæ 38
Tunicæ quæ 30. & 24
Tunica Iouis 10
Tunica ima 40
Tunica media 41
Tunica coccina 44
Tunica domestica 42
Tunica laticlaui eadem
Tunica latoye 44
Tunicæ χειριδωταί 40
Tunicatus 41
Tunicata iuuentus 39
Tunicatus populus 24
Tunica phœnicea 43
Tunica pallio propior 45
Tunicata quies 42
Tyriamethystus 9
Tyriæ eadem
Tyriæ lacernæ eadem
Tyrium eadem
Tyrus eadem

V

Versus Brixij in Longolium 64
Vestales 60
Vestimenta 24
Vestis appellatio 1
Vestes aureæ 20
Vestis holoserica 18
Vestis Christi 34
Vestis undulata 5
Vestis ostrina 5
Vestis & stola eadem
Vexillum 14
Viatoria 2
Viola 12
Virilis toga 29
Viridis color 4. & 6
Vitta 60
Vndulata uestis 5
Vsus lacernarum 58

X

Xerxes togatus 27
Xyna 62
ξύλα καύσιμα 64

Z

Zona 22. & 56
ζωστήρ. 57

FINIS.


VERDRVCK · MICH
ARMEN NIT
PALMA
BEB